MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-3

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

PREISWERK, RUDOLPH

TITLE:

DE INVENTIONE ORATIO-
NUM CICERONIANARUM

PLACE:

BASEL

DATE:

1905

Master Negative #
91-80275-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87021
DZ6

Preiswerk, Rudolph, 1878-
De inventione orationum Ciceronianarum; dissertatio quam... scripsit Rudolphus Preiswerk...
Basel, Reinhardt, 1905.
126 p. 28½ cm.

Thesis, Basel, 1905.

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE INVENTIONE ORATIONUM CICERONIANARUM.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB ILLUSTRISSIMO UNIVERSITATIS BASILIENSIS ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RUDOLPHUS PREISWERK
BASILIENSIS.

Basel, 1905
FRIEDRICH REINHARDT, UNIVERSITÄTS-BUCHDRUCKEREI
St. Albansvorstadt 15.

DE INVENTIONE ORATIONUM CICERONIANARUM.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES

AB ILLUSTRISSIMO UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RUDOLPHUS PREISWERK

BASILIENSIS.

Basel, 1905

FRIEDRICH REINHARDT, UNIVERSITÄTS-BUCHDRUCKEREI

St. Albanvorstadt 15.

Dissertatio probata est ab ordinis philosophorum sectione philologo-historica referentibus professoribus Friderico Muenzer et Alfredo Koerte.

Basileae, a. d. IV. Nonas Julias, a. MCMV.

Carolus Joël, h. t. decanus.

Parentibus optimis

sacrum.

Index.

pg.

Praefatio . . . 5

I. Exordia et Perorationes.

A. Exordia . . . 7
1. Orationum iudicialium . . . 7
2. Orationum generis deliberativi et demonstrativi . 12
B. Perorationes . . . 14
1. Orationum iudicialium . . . 14
a) proprie dictae . . . 14
b) causae ad patronum delatae descriptiones . 19
2. Orationum generis deliberativi et demonstrativi 23

II. Narrationes.

1. De fontibus artis narrandi . 25
2. De narratione Ciceroniana . . 28

III. Argumentationes.

A. Loci singuli . . . 36
(causae capitales 36, ambitus 42, repetundarum 47, legitimae 51, de civitate Romana 53, de societate laesa 55, de proscriptione bonorum 56, de ordinibus equestri et senatorio 56, de epistulis 58, de officiis iudicum 58, sententiae 61, conformationes 67, loci proprii Ciceronis 70, militum occisorum laudatio 71.)
B. De universa ratione argumentandi . . 72

IV. Personarum tractationes.

A. Depictiones . . . 79
1. De effictione . . 79
2. De notatione . . 80
B. Vituperationes et laudationes . 88
1. Conviciorum conspectus . 88
2 Pars de vita et moribus . 89
3. Certa genera quomodo laudentur . 94

V. Compositionis formae artificiosae.

A. De ratiocinatione perfecta . . . 97
I. De praeceptis rhetoricis . 97
II. Exempla Ciceroniana . . 100
1. De forma . . 100
2. Ubi inveniatur . . 106
B. De contentione . . 107
1. De argumento . . 107
2. De forma . . 114

Epilogus . . . 124

De inventione orationum Ciceronianarum.

Dissertationis conscribendae inscius auctor fuit Richardus Heinze, qui Berolini in scholis auditores adhortatus est, ut in dicendi rationem, qua in orationibus Cicero utitur, accuratius inquirerent eamque cum Graecorum oratorum ratione conferrent. A quo consilio ut deflexi — pro ratione dicendi enim inventionem mihi elegi, quam non minus quam orationem a Romanis plerumque exemplis pendere intellexi — ita viro docto eam gratiam habeo, quae viam monstranti debetur. In perficiendo autem opere diligentissime me adiuvit Fridericus Muenzer; erga quem veluti ducem gratus sum.

Scripta adiumenta — praeter ea, quae rarius adhibita in cursu dissertationis indicabo — haec mihi fuerunt: Cornifici rhetoricorum ad C. Herennium libri IV; recensuit et interpretatus est C. L. Kayser; Lipsiae 1854. — Die Rhetorik der Griechen und Römer in systemat. Uebersicht; dargestellt von Richard Volkmann, Berlin 1872.[1]) — praecipue vero dissertatio Francisci Rohde, quae inscribitur: „Cicero quae de inventione praecepit, quatenus secutus sit in orationibus generis iudicialis," Regimonti 1903.[2]) — Eius mea dissertatio supplementum est, nec melius, quod consilium secutus sim, cognoscetur, quam si mei operis rationem cum illius comparabo. Primum igitur Rohde iudicialibus tantum orationibus usus est, ego omnes omnis generis adii; quo factum est, ut et ceterum mea tractatio latius pateret et loci quidam, qui iudicialibus orationibus cum demonstrativis deliberativisque communes illum fugerunt, me non laterent.

[1]) Recentior editio (Lipsiae 1885) mihi non praesto fuit.
[2]) Editiones Caroli Halm paene sine fructu inspexi.

Deinde Rohde ea quoque tractavit, quae in sola iudiciorum ratione posita arte carent (e. g. pg. 41 seq. „de locis extrinsecus assumptis"), ego ea tantum, quoad fieri potuit, respexi, quae ad ingenium oratoris atque artem pertinent. Tum Rohde a praeceptis, quae tenemus, rhetoricis semper profectus est, ea commentariis instruxit, ea exemplis ornavit; ego adiumenta solum, non fundamenta disputationis praecepta esse volui neque aliunde profectus sum nisi ab ipsis orationibus; ita, quae ipse praescripserit, diligenter observavisse Ciceronem Rohde statuit, ego praeter ea praecepta, quae servata sunt, alia eum secutum esse plurima sensisse mihi videor.

I.

Exordia et perorationes.

Exordia et perorationes uno capite tractabo; quae spatio maxime distant, argumento artissime cohaerent.

A. Exordia.

Ut alias ita in exordiis exponendis separandae sunt orationes iudiciales, ubiubi habitae sunt (quibus adnumerari potest or. pro Marcello, qua Cicero nomine gratias agit, re defendit), et orationes generis demonstrativi et deliberativi habitae aut in senatu aut ad populum. Merae enim laudationes et vituperationes, quales tractat auctor ad H. in initio libri tertii, omnino non exstant; quas Cicero scripsit, orationes demonstrativae non minus quam deliberativae certum finem aut habent aut habere simulantur (de orat. II. 341).

I. De exordiis orationum iudicialium.

Ea exponit Franciscus Rohde (pg. 9—26) eadem diligentia adhibita, qua per totam dissertationem utitur. Nisi quod cum aliis locis tum hic impeditus finibus artioribus, quos et in ponenda et in persequenda quaestione sibi sanxit, praeceptorumque, cum quibus orationes confert, verba nimis servans nonnulla non vidit. Primum enim et in exordiis et in perorationibus loci communes complures exstant, qui in praeceptis rhetoricis non respiciuntur; eos Rohde indicare omisit. Deinde ne fundamenta quidem exordiorum perorationumque ea sunt, quae ex Francisci Rohde disputatione videri possunt. Scilicet non id primum quaerit orator, quomodo benivolos, attentos, dociles auditores reddat; illud examinat, qua ratione res personaeque certae, de quibus ut dicatur, non ars doctorum, sed ipsa causa ususque iudiciorum postulant, commode atque utiliter tractentur. Quas nec Rohde nec praecepta

plane negligunt (C. inv. I. 22.[3]) „Benivolentia... comparatur ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, ab ipsa causa ...;“ — ad Her. I. 8), sed nimis locis a rhetoribus inventis subiungunt; cum tamen in illis exponendis inventio, in illis ordinandis compositio exordiorum et perorationum versetur. — Alia accedit discrepantia gravissima, quam cum senserit (pg. 10—14), non perspexisse Franciscum Rohde miror. An ne Fridericum Marx quidem, sagacissimum virum, eam vidisse arbitrer? Qui in Prolegomenis editionis auctoris ad Her. postquam magnam partem operis ex Graeca arte sumptam esse disertis verbis dixit (pg. 81. „Is porro praeceptor Latinus (is sc., cuius scholam auctor ad H. frequentavit.) Graecam quandam artem in suum usum convertit.“ cf. pg. 156 seq.) pg. 159 hoc contendit: „In libris ad Herennium vestigia Graecae originis ubique fere deletae sunt.“ Immo et auctor ad H. et plerumque Cicero de inventione in praeceptis, quae praebent de exordiis et perorationibus, Graecum auctorem clare produnt eo, quod inter patronum et reum non discernunt: ad Her. I. 8. Cic. inv. I. 22 (cf. supra) personae enumerantur nostra, adversariorum, iudicum — rei deest[4]). Haec quaeque una cum eis leguntur (ad H. I. 5—11; II. 47—50; Cic. inv. I. 20—23; I. 100—105) verbo tenus ex enchiridio Graeco deprompta esse possunt. Quadrant in Athenienses, ubi reus idem orationem habuit; in Romanos, apud quos per patronos rei

[3]) Editiones sequor Ciceronis Muellerianam, auctoris ad. Her. Marxianam.

[4]) cf. praeterea Cicero inv. I. 22 (de exordiis): „Ab nostra (persona benivolentia comparatur), si... crimina inlata... diluemus; si, quae incommoda acciderint... proferemus...“ I. 104-5 (de indignatione, i. e. parte perorationis): ... „indignamur, quod nobis hoc primis acciderit... ut ad suas res nostras iniurias referant... quae nobis acciderint...“ ad Her. I. 8. (de exordiis): „A nostra persona benivolentiam contrahemus, si... aut in rempublicam quales fuerimus, aut in parentes... referemus... Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem...“ II. 50 (de perorationibus): ... si ostendemus, in quibus commodis fuerimus quibusque incommodis simus... quae nobis futura sint... et nos sub eorum — potestatem subiciemus, ... etc...; si animum nostrum fortem... ostendemus futurum.“

(Ne „officium“ auctoris ad Her. I. 8 „si nostrum officium sine arrogantia landabimus,“ de officio patroni accipias, obstat locus Ciceronis (I. 22), qui plenius, ni fallor, ex eodem fonte hauriens scribit: „de nostris factis et officiis“; cf. in Verr. II. 1. § 137, „homo summo pudore, summo officio“.)

loquebantur, non quadrant. — Contra in eis praeceptis, quae dat Cicero de conquestione (i. e. altera parte perorationis; inv. I. 106—109) consuetudinem Romanam et Graecam mire confundit: § 107 „quibus in bonis fuerint“ etc. — § 109 „quod male tractemur“ etc. —; et de or. II. 321. pro „nostra parte“ ponit rei, cuius nomen Romanum nescio quem grammaticum secutus a re derivat. — Quintilianus denique contra Graecorum partitionem aperte pugnat, inst. IV. 1, 6. „Personarum non est, ut plerique crediderunt, triplex ratio, ex litigatore et adversario et iudice. Nam exordium duci nonnumquam etiam ab oratore causae solet.“

In exordiis igitur dici solet de oratore, de reo (cliente), de adversario, de causa, de iudicibus. Quod nonnumquam ita fit, ut singularum personarum rerumque tractationes finibus adeo perspicuis discernantur, ut totum exordium ex illis laxe conexum et quasi consarcinatum esse videatur; ita in exordio orationis pro Plancio:

§ 1. Cicero dolet Plancium sibi coniunctissimum ab inimicis suis accusari; **de causa.**

§ 2. gaudet iudices sibi fauturos: „Nunc autem vester conspectus... reficit mentem meam;“ **de iudicibus.**

§ 3. miratur Plancium a Laterense potissimum accusari; **de adversario.**

exponit integritatem Planci; **de reo.**

§ 4. pro Plancio dicentem pro se ipso se dicere affirmat. **de oratore.**

Magis loci singuli confunduntur in exordio orationis Cluentianae:

§ 1—3. C. explicat causam ex duabus partibus diverse tractandis compositam esse:

„Animadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes.“ **de causa.**

§ 3—4. Quam difficilis res sit, ostendit; iudices solos reum adiuvare posse docet; se ipsum inopem esse testatur: „Nemo est... qui invidiae sine vestro subsidio... possit resistere.“ **locus mixtus ex locis de causa, de iudicibus, de oratore.**

§ 5—6. Iudicum officia exponit: „Etenim, sicut aliis in locis parum firmamenti et parum virium **de iudicibus.**

veritas habet, sic in hoc loco falsa invidia imbecilla esse debet."

§ 7. Omnes difficultates se superaturum promittit, dummodo iudices sibi faveant: „Ego me ad eam causam accedere, quae . . . prope . . . damnata sit, . . . intellego; sed . . . efficiam profecto, ut intellegatis, . . . nihil (esse) innocenti suscepta invidia . . . tam optandum, quam aequum iudicium. . . ." locus mixtus ex locis **de causa, de iudicibus, de oratore.**

Similiter ceterarum orationum exordia facta sunt. Quamquam nonnumquam locus hic, ille, deest, praecipue in orationibus pro Murena, Caelio, Balbo, Rabirio Postumo et in Verrinis, ubi Cicero, quae sive ab aliis sive a se iam dicta erant, iterum afferre noluit. Contra in orationibus pro Sestio et pro Balbo alterius patroni laudationes sunt. — Fit etiam, ut res, quae magis ad argumentationes pertinent, ante partitionem, quae vocatur, afferantur (ita accuratiores adversariorum descriptiones in or. pro Murena et subtilior causae explicatio in or. pro Balbo) aut omnino fines, qui esse debent inter exordium et ceteram orationem, parum serventur (Rab. Post., Verr.). — Contra intra solitum modum contracta sunt exordia orationum pro domo et pro Ligario. Divinatio in Caecil. denique et suum exordium habet et ipsa exordium est Verrinarum. — Ceterum leviora brevioraque exordia orationum iudicialium tempore fieri neminem fugit; quod idem narrationem pati infra videbimus. Etenim recte iudicat Tacitus dial. 22. „nam priores eius narrationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus."[5]) Sed de compositione exordiorum nonnulla addam in quinto dissertationis capite; iam materiae, quam Rohde praebet, haec adicienda sunt.

Orator

explicat, cur defensionem susceperit; exponit, **qua necessitate cum reo coniunctus sit:** Quinct. 3; Rosc. Am. 1—5; Verr. I. 1. § 12; II. 2. § 10; Arch. 1; Flacc. 1; Planc. 1. 3—4; Sest. 4; Mil. 4—5. cf. Muren. 3 seq. — Locus, qui idem copiosius in perorationibus

[5]) cf. Ernst Progr. Neo-Ruppinense 1885; pg. 15.

tractatur, a Francisco Rohde prorsus neglegitur: Graeca scilicet praecepta Romanam consuetudinem non respiciunt.

promittit, se praestiturum, quod praestare possit: Rosc. Am. 10. „Hoc onus si vos aliqua ex parte adlevabitis, feram, ut potero studio et industria, iudices; sin a vobis . . . deserar, tamen animo non deficiam et id, quod suscepi, quoad potero, perferam." Verr. I. 3. „De quo si vos severe religioseque iudicaveritis . . .; sin istius . . . divitiae . . . veritatem . . . perfregerint, ego hoc tamen assequar, ut iudicium potius reipublicae quam aut reus iudicibus aut accusator reo defuisse videatur." cf. Cluent. 7. Sest. 5.

excusat se, quod accusationem (sive proprie dictam, sive qualis fit in defensionibus) **susceperit.** Liceat mihi coniunctim hunc locum tractare, quamquam non solum in totarum orationum exordiis sed etiam et in partium et alias invenitur. Bene autem videmus, qua ratione et natus et auctus sit. Scilicet, ut tolleretur quod odii inerat in accusationibus, diligenter oratores exponere solebant, quam puris consiliis causam aggressi sint:

Rosc. Am. 83. „Venio nunc eo, quo (ad accusationem Rosciorum sc.) me non cupiditas ducit, sed fides." — Caecil. 1. „Si quis . . . forte miratur me . . . subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere, is si mei consilii causam rationemque cognoverit . . . quod facio, probabit. . . ." Verr. II. 3. § 1—3; Cluent. 11. 17. 188. — Saepius vero cum irrisione quadam se excusabant: Tull. 5. „Tametsi postulat causa, tamen nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere. Nunc cum coactus dicam, si quid forte dicam, tamen id ipsum verecunde modiceque faciam. . . ."; Cluent. 10 „Abs te peto, Oppianice, ut me invitum de patris tui causa dicere existimes, adductum fide atque officio defensionis. . . ." cf. § 30. Verr. II. 5. § 19. „Non agam tam acerbe, non utar ista accusatoria consuetudine, si quid est factum clementer, ut dissolute factum criminer."

Nonnumquam excusationes tales vim praetermissionum habent; quibus orator eo consilio utitur, ut auditoribus graviora facta esse persuadeat, quam indicare velit:

Verr. II. 3. § 164: „Sed ego habebo rationem auctoritatis meae; meminero, quo animo . . . ad causam publicam accesserim; non agam tecum accusatorie, nihil fingam, nihil cuiquam probari

velim me dicente, quod non ante mihimet ipsi probatum sit.“ Verr. II. 1, § 62; 3, § 46; 4, § 2; 5, § 4.

Cohaeret haec ratio se excusandi cum illusione, qua orationes Ciceronis refertae sunt; (illusio = ironia; Quintil. inst. VIII. 54) quae tamen sine orationis tractatione exponi nequit. Est enim pars necessaria generis dicendi acuti. —

Rei modestia, **adversariorum** audacia exponuntur. Rosc. Am. 8. „Quodsi aut causa criminis aut facti suspicio aut quaelibet denique vel minima res reperietur . . . non recusamus, quin illorum libidini Sex. Rosci vita dedatur.“ (Sequitur gravis iudicum obtestatio incipiens a vocabulo „sin.“) Planc. 3. „Nisi eius integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero, nihil de poena recusabo; sin. . . .“ Eadem obtestationis ratio legitur Mil. 6.; cf. praeterea Sull. 1.

Locos, qui ad **iudices** (auditores) pertinent, diligenter colligit Rohde pg. 19—21; ex praeceptis addo auctoris ad Her. I. 8. „simul ostendemus nos in aliis noluisse spem habere.“ Quod quamquam ab auctore sub „nostra persona“ affertur, ad iudices magis spectat; a Cicerone nonnumquam observatur. —

II. De exordiis orationum generis deliberativi et demonstrativi.

Orationes deliberativae et demonstrativae et alia multa communia habent et rationem exordiorum. Quam duplicem esse ipsa tractatio demonstrabit.

a) De exordiis factis ad exemplum orationum iudicialium.

Ad exemplum generis iudicialis ea principia facta esse volo, quae ex certarum personarum rerumque expositionibus composita sunt: (ad Her. III. 13.)

α) exordia orationum ad populum habitarum.

de leg. Manil. 1—3. — Cicero exponit,

§ 1—2. cur adhuc a rostris abstinuerit, **de oratore** (de
§ 2. quae nunc praestare velit, auditoribus)
§ 3. qua de re dicturus sit. **de causa.**

Adde leg. agr. III. 1—3, ubi praeter causam et auditores etiam adversarii memorantur; et exordium or. de leg. ag. II, quod tamen accuratiorem oratoris conditionum descriptionem continet.

β) exordia orationum habitarum in senatu.

in Catil. IV. — Cicero

§ 1—3. auditores laudat, merita sua exponit, quo sit animo explanat, quae instent pericula indicat. **de oratore** (de auditoribus, de causa.)

Quibus paragraphis addi possunt:

§ 4. admonet patres, ut reipublicae servandae operam dent; **de auditoribus**
§ 4. consilia Catilinae describit; **de causa.**
§ 5. patres eodem animo esse ac se ipsum affirmat. **de auditoribus.**

Adde prov. cons. 1—2, ubi praeterea mentio fit auctoris sententiae, de qua deliberatur, et Phil. III. V. X.

b) De exordiis cum cetera oratione artius coniunctis.

Ea rei ante actae expositionem sive narrationem continent. (ad Her. III, 17 . . . „ut si a narratione dicere incipiamus“; Kayser pg. 271.) Quae res aut

α) ad causam, de qua oratio habetur, pertinet; cum ipso argumento eius autem minus cohaeret:

Huc pertinent orationes de harusp. responso (§ 1—2) et Philipp. II (§ 1—3), ubi narratur, quomodo Clodius, Antonius in Ciceronem invecti sint; nec non orationis in Pisonem, qua similiter adversario suo Tullius respondit, deperditum exordium idem fuisse videtur. Adde Philipp. I. 1—10, ubi profectionis reversionisque suae Cicero rationem explicat et ex orationibus iudicialibus in Vatin. 1—3. — Philipp. VIII. 1—2 utrum huic generi adnumerem an ei, quod iam tractaturus sum, dubito.

β) aut argumentum orationis adeo in se inclusum praebet, ut narrationi sive expositioni causae quam exordio similius sit: Kayser l. l. = Cic. part. or. 13 „Principia vel non longa vel saepe nulla. Sunt enim ad audiendum qui deliberant sua causa parati.“

Huc pertinent principia orationum in Catil. I—III; post red. I—II; Philipp. IV, VI, VII, IX, XI, XIV. —

B. Perorationes.

Perorationes eandem rationem tractandi postulant atque exordia.

I. De perorationibus orationum iudicialium.

Dicam primum de perorationibus proprie dictis, deinde de eo loco, quo sive coniunctionis, quae est inter clientem et patronum, indicatio sive causae aut a reo aut ab advocato eius ad patronum delatae descriptio continetur.

Qui locus quamquam rarius ipsius perorationis pars est[6]), semper tamen et in fine sive totius orationis sive partis invenitur nec, quod ad argumentum attinet, a vera peroratione longe abest.

a) perorationes proprie dictae.

Etiam in perorationum materia complenda — etenim complendi solum munus mihi relictum est, cum maior pars eorum, quae erant dicenda, a Francisco Rohde dicta sint (pg. 131—144) — non a praeceptis rhetoricis proficiscar, quae Rohde satis curat, sed ab ipsis orationibus. Quae perorationes praebent similiter compositas atque exordia; tractantur enim orator, reus, adversarius, causa, iudices. Adduntur tamen auxilia rei; de quibus pauca dicenda sunt. Scilicet usus fuit apud **Romanos**, ut in causis publicis cognati, proximi, vicini, municipes, amici nobiles, alii, reo adessent. Quorum ut auctoritate iudices moverentur, in fine orationum ornate patroni mentionem facere solebant: magna nimirum pars perorationis in eis laudandis miserandisque versatur. Ceterum quamquam originem ex usu, materiam ex causis hic locus ducit, artis tamen certioribus vestigiis non caret. Ea ut eluceant, operam dabo, ubi rationem auxiliorum tractandorum accurate exponam; nunc, unde deflexi rediens, perfectae perorationis exempla afferam.

Quinct. 91—99. Cicero

§ 91. affirmat in iudicibus solis spem clientis sui esse positam; **de iudicibus**

[6]) cf. praecipue Cluent. 144/5.

§ 92—93. exponit causam Naevi causa Quincti multo inferiorem esse; **de causa**

§ 94. explicat, quam contentus futurus sit Quinctius liberatus, quam miser damnatus. **de reo**

§ 95—98. explanat, quas Quinctius miserias adhuc passus sit; **de reo / de iudicibus**

§ 99. rei virtutes laudat; ipsum praetori commendat. **(iudice)**

Cluent. 195—202. § 195. Admonentur iudices, ad quos veluti ad deos reus confugerit, ut patris atrocitatem a filio depellant = **de iudicibus**; § 195—196 municipum studia laudantur, testimonia leguntur; § 197 quot homines adsint ex vicinis municipiis, exponitur; § 198 ceteri fautores Cluenti enumerantur = **de auxiliis**; § 199 eis se ipsum orator adiungit = **de oratore**; § 199 Sassiae crudelitas deploratur = **de adversario**; § 200—202 admonentur iudices, ut hominem et miserum (enumerantur iniuriae, quas iampridem passus sit; indicantur lacrimae, quas nunc retinere non possit; significantur miseriae, quae damnato instent = § 200—201) et innocentem (202) matrique soli invisum ne condemnent = **de reo, iudicibus, adversario.** — Similiter ceterae perorationes compositae sunt. Sunt tamen breviores Caecin. 104 et Arch. 31—32; a communi ratione magis minusve abhorrent Caecil. 71—73; Verr. II 5 § 184—189 (Rohde pg. 133); Marcell. 33—34; Deiot. 40—43; Lig. 32 seq. — Verrinae perorationibus pleraeque carent.

Haec de universa compositione perorationum; iam singulorum capitum materia afferenda est, quatenus non a Francisco Rohde affertur.

Orator

sua auctoritate auditorum animos commovere studet.

Coniunctionis, quae intercedit inter reum et patronum, indicandae communis usus est; ut auctoritas sua respiciatur, ei tantum oratores petunt, qui honoribus officiisque excellunt. Itaque Cicero inde a consulatu demum a iudicibus postulat, **ut pro suis de patria**, pro ipsorum iudicum de se **meritis, clientem absolvant**[7]),

[7]) cf. locum de amicis advocatisque pg. 18/19; eorum munere Cicero hic quasi fungitur.

Muren. 90: „si quid habet aut momenti commendatio aut auctoritatis confirmatio mea.“ Sull. 92 „Ut ego . . . laboravi . . . sic vos . . . mitigate!“ Planc. 102 seq. — Sest. 145. „Quod tantum est in me scelus? quid tanto opere deliqui illo die, cum . . . ad vos indicia . . . communis exitii detuli?“ Mil. 100 seq. 103: „Quodnam ego concepi tantum scelus . . . cum illa indicia communis exitii indagavi . . .?“

Merita vero si negligantur, lacrimarum saltem suarum ut rationem habeant:

Sull. 92: „Sed iam impedior egomet . . . dolore animi, ne de huius miseria plura dicam. Vestrae sunt iam partes, iudices!“ Planc. 102—104 „non opibus contendo . . . sed precibus, sed lacrimis, sed misericordia.“ — „Plura ne dicam, tuae me etiam lacrimae impediunt vestraeque, iudices, non solum meae.“ Mil. 105 „neque enim prae lacrimis iam loqui possum.“ Rabir. Post. 47 „sed iam, quoniam . . . fidem . . . praestiti, reddam etiam lacrimas.“ (Rohde pg. 144).

Reus

1. demonstratur, **quam miser adhuc fuerit:** Quinct. 96 „Omnia circumspexit Quinctius . . . a quo ius impetraret, invenire non potuit . . .“ Rosc. Am. inde a § 144 — **quam miser nunc sit:** antea felicitate usum nunc in inopia esse: Mil. 94; Sest. 144; Font. 48; Muren. 86; Sull. 89. — mortuum esse reum quam vivere praestare: Font. 49 „O fortunam longe disparem, M. Fontei, si deligere potuisses, ut potius telis tibi Gallorum quam periuriis intereundum esset! Tum enim vitae socia virtus, mortis comes gloria fuisset . . .“ Cluent. 201 „. . . saepe et multum queretur deprehensum esse illud . . . Fabricianum venenum. Quod si tum indicatum non esset, non huic aerumnosissimo venenum . . . fuisset, sed multorum medicamentum maerorum; postremo etiam . . . mater . . . mortem se filii lugere simulasset“ [8]) — dom. 146 — reum flere prae dolore animi: Font. 48, Cluent. 201, Muren. 86, Flacc. 106, Sull. 90. — **quam miser futurus sit damnatus:** Quinct. 99, Font. 48, Sull. 88; de exilio damnati agunt Muren. 88, Mil. 104; cf. Rohde pg. 142/3. — Ad totum locum

[8]) Homeri ε 305—312. Plutarchi Pomp. 74.

spectat praeceptum Ciceronis inv. I. 107 „Secundus (locus), qui in tempora tribuitur, quibus in malis fuerint et sint et futuri sint“ cf. Quint. inst. VI. 1. 23. Rohde pg. 139/40 pauca tantum exempla congerit. — 2. **quam sit innocens:** Quinct. 98 „nihil alienum tamen vita superiore commisit“; Rosc. Am. 147 „scis hunc . . . nihil umquam contra rem tuam cogitasse“; Muren. 87 „si iniuste neminem laesit, si nullius auris voluntatemve violavit, si nemini . . . odio . . . fuit, sit apud vos modestiae locus“ (cognovimus hanc obtestandi rationem ex principiis.) — cf. perorationes orationum pro Cluentio, pro Deiotaro. — **quam bene de republica meritus:** = omnes fere perorationes hoc loco instructae sunt; cf. Caecin. 104; dom. 145 „si . . . obieci meum caput . . . et si iterum . . . meque ac meum caput ea conditione devovi . . .“ — **quam fortis animoque infracto:** Rosc. Am. 143/4 (cf. 128) = Rohde pg. 139. „Sex. Roscius horum nihil indignum putat, neminem accusat, nihil de suo patrimonio queritur; putat homo imperitus morum . . . ista omnia . . . lege . . . facta; culpa liberatus . . . cupit a vobis discedere . . . ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere.“ Modestiae fortitudinisque descriptio scholae debetur: ad Her. II. 50 „si animum nostrum (= rei!) fortem, patientem incommodorum ostendemus futurum.“ = Cic. inv. I. 109. „Sextusdecimus (locus) est, per quem animum nostrum in alios misericordem esse ostendimus et tamen amplum et excelsum et patientem incommodorum esse . . .“ — a Cicerone exornatur, is postquam philosophiae studiis diligentius se dedit: Mil. 92/3; 96—101: „si (Milonis) vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem ac non mutatam videtis . . . Addit haec, quae certe vera sunt, fortis et sapientis viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta . . . Sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur . . . Quam ob rem, ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris et iam versatur et semper habitabit nominis mei gloria.“ Ex simplici reo en Stoae factum germanum discipulum! cf. quae de „sententiis“ infra dicam; et Quinct. 97, Flacc. 104, Rab. Post. 48. — Suam denique rationem

postulant perorationes **deprecationum** et concessionum (Rohde pg. 6/7; 159); ubi orator crimina non negat: Rab. Post. 45 „Sed, ut omnium suspicioni . . . satis fiat, occultat pecuniam Postumus . . .“ Lig. 35 „Sed ierit ad bellum, dissenserit non a te solum, verum etiam a fratribus . . .“

Adversarius

monetur, ne nimis crudelis sit: Rosc. Am. 150: „Verum si a Chrysogono, iudices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat . . . . .“ cf. 144 seq. — Sull. 90 „Te ipsum iam, Torquate, expletum huius miseriis esse par erat; et si nihil aliud Sullae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo contentos vos esse oportebat . . .“. — Scaur. 22 ($45\frac{n}{o}$.)

Auxiliorum

vice funguntur **amici nobiles;** qui aut nominantur: Rosc. Am. 147, 149 (Caecilia, Messalla); Cluent. 198 (Volusienus, Helvidius, Tudicius, Volumnus); Arch. 31. Sest. 144 (Milo, Lentulus) — aut tantum significantur: dom. 142 — nonnumquam etiam cum artificio quodam absentes eis adnumerantur, qui adsunt: Rosc. Am. 148 „Mihi crede, si pro patris huius hospitiis et gratia vellent omnes huic hospites adesse et auderent libere defendere, satis copiose defenderetur.“ Cluent. 198 „Quam doleo abesse ab huius iudicio L. Volusienum . . . Vellem praesentem possem P. Helvidium Rufum . . . nominare . . .“ — **municipii rei vicinorumque incolae, testimonia; provinciae, quae sub imperio rei fuit, legati:** Font. 45/6 „Venit huic subsidio . . . Massiliensium cuncta civitas . . . Propugnat pariter pro salute M. Fontei Narbonensis colonia . . . Denique . . . nemo est civis Romanus, qui sibi ulla excusatione utendum putet; omnes illius provinciae publicani, agricolae, pecuarii, ceteri negotiatores uno animo M. Fonteium atque una voce defendunt.“ Similiter atque in Fonteiana in ceteris orationibus, quae in repetundis habitae sunt, cives Romani et barbari sibi opponuntur: Flacc. 100; (Scaur. 17) (cf. quae in „causis repetundarum“ et in „contentionibus“ disputabo.) — Cluent. 195—198 „Omnes, scitote iudices . . .

omnes Larinates, qui valuerunt, venisse Romam, ut hunc studio frequentiaque sua . . . sublevarent . . . . . Adsunt Ferentani . . . . . Iam qui in agro Larinati praedia, qui negotia, qui res pecuarias habent . . . difficile dictu est, quam sint solliciti . . .“ cf. Muren. 90, Deiot. 41/2 (ubi pro municipibus legati regii adsunt).— **propinqui**[9]): pueri: Flacc. 106. „Huic misero puero . . . hoc iudicio vivendi praecepta dabitis . . . Qui vos, quoniam est id aetatis, ut sensum iam percipere possit ex maerore patrio, auxilium nondum patri ferre possit, orat, ne suum luctum patris lacrimis, patris maerorem suo fletu augeatis; qui etiam me intuetur . . . meam . . . flens fidem implorat.“ Sull. 88/9 „huic puero . . . metuit . . . ne aeternam memoriam dedecoris relinquat. Hic vos orat . . . parvus, ut se aliquando . . . patri suo gratulari sinatis . . .“ Sest. 144/6 „video hunc praetextatum eius filium oculis lacrimantibus me intuentem.“ — parentes: Cael. 79/80 „ne . . . aut senectutem (patris) iam prope desperatam contempsisse . . . videamini.“ Font. 48, Mur. 89 — frater, soror: Font. 46/7, Lig. 36. — cf. Quinct. 97. —

Usus auxiliorum nomine rei iudicibus commendandi Romanus est[10]): a rhetoribus Graecis et Semi-Graecis neglegitur. Quamquam in propinquis tractandis nonnulla Cicero Graecis fontibus debet; praebebant scilicet illi de disiunctione, quae reum eiectum e civitate inter et propinquos intercedit, deploranda praecepta: Cic. inv. I 109; Rohde pg. 143. — Ceterum gravissimam et ad animos auditorum commovendos aptissimam partem perorationis auxiliorum laudationem fuisse ex fletibus crebris apparet, quibus non solum cognati et propinqui, sed etiam testes magis alieni (Cluent. 197) nec non auditores (Rab. Post. 48) indulgent. —

b) descriptiones causae ad patronum delatae.

Usus, ne dicam lex, fuit apud Romanos, ut patroni disertis verbis indicarent, rite causam, quam suscepissent, sive ab ipso reo sive ab advocato eius ad se delatam esse. Quae primo eo consilio adducti fecerunt, ut falsas suspiciones praecideret; quamquam occasionem advocati laudandi auctoritatisque eius

[9]) Servius Galba primus fuisse videtur, qui propinquis adhibitis misericordiam iudicum moveret; Cic. de or. I, 218.

[10]) cf Quint. inst. VI. 1. 7.

ad commovendos animos iudicum adhibendae numquam neglexerunt. Simplicissima forma loci igitur invenitur

Rosc. Am. 149 „fori iudiciique rationem M. Messalla . . . suscepit; qui si iam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret; quoniam ad dicendum impedimento est aetas . . . causam mihi tradidit."

Mox ex simplici descriptione causae delatae descriptio facta est causae d o c t a e[11]) redacta in formam lepidissimae narratiunculae argumentoque instructa cum iocoso tum firmo ac quo adversariorum crimina semel refellantur:

Quinct. 77 „Diffidebam mehercule, C. Aquili, satis animo certo et confirmato me posse in hac causa consistere . . . Dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cum P. Quinctio, cum a me peteret et summe contenderet, ut propinquum suum defenderem, mihi perdifficile esse contra tales oratores . . . verbum facere conari . . . Tum mihi Roscius et alia multa mei confirmandi causa dixit . . . (laudatur R.) . . . verumtamen: Quid si, inquit, habes eiusmodi causam, ut hoc tibi planum sit faciendum, neminem esse, qui possit biduo aut summum triduo septingenta milia passuum ambulare . . ."

(Docet Cicero, cum Naevius a. d. V Calendas intercalares postulaverit, ut saltum Gallicanum, qui septingenta milia ab urbe absit, ex edicto possideret, Quinctius vero iam pridie Calendas de saltu deiectus sit, non fieri posse, quin Naevius, antequam postulaverit, miserit, qui Quinctium deturbarent.)

Caecin. 77 seq. „Hoc loco percommode accidit, quod non adest . . . C. Aquilius . . . (laudatur A.) . . . Quare permagnam initis a nobis gratiam, cum eum auctorem defensionis esse dicitis . . . Verum tamen quid ait vester iste auctor? . . . Cum exemplis uterer multis . . . plurimis saepe in rebus ius et aequi et boni rationem esse seiunctam . . . consolatus est me et ostendit in hac . . . causa nihil esse, quod laborarem . . . ‚Quonam, inquam, modo?' ‚Quia certe, inquit, deiectus est Caecina . . . aliquo ex loco, si non ex eo loco, quem in locum venire voluit, at ex eo certe, unde fugit . . ." (Adversarius negaverat, Caecinam de fundo, de quo controversia est, deiectum esse; iocus sine explicatione intellegitur.)

[11]) cf. Mommsen, Röm. Strafrecht, pg. 376 adnot. 2) — Quint. inst. XII. 7. 8.

Hactenus advocatum patrono controversiae statum explicantem videmus; clientes ipsi causam mandant:

Cluent. 144/5 „Nam, ut haec ad me causa delata est . . . dixi Habito statim, eo capite: Qui coisset, quo quis condemnaretur, illum esse liberum . . . Atque ille me orare atque obsecrare coepit, ne se lege defenderem . . . Morem homini gessi . . . quod videbam per se ipsam causam sine lege copiosissime posse defendi."

(Locus vim praetermissionis habet; auditores scilicet firmissimam eam causam putare necesse est, ad quam defendendam etiam remotiora argumenta sufficiant, promptissima quaeque omitti possint. Ceterum, quod se repudiare argumentum Cicero simulat, id ipsum copiose exponit: 146 seq.)

Verr. II. 4 § 136 seq. „Atque ut ceteros omittamus, de ipsis Syracusanis cognoscite. Ad quos ego cum venissem, sic primo existimabam, ut Romae ex istius amicis acceperam, civitatem Syracusanam . . . non minus esse isti amicam quam Mamertinam . . . Itaque Syracusis cum civibus Romanis eram; eorum tabulas exquirebam, iniurias cognoscebam. Cum diutius in negotio curaque fueram, . . . ad Carpinati praeclaras tabulas revertebar . . . a Syracusanis prorsus nihil adiumenti neque publice neque privatim expectabam . . . Cum haec agerem, repente ad me venit Heraclius . . . Agit mecum et cum fratre meo, ut, si nobis videretur, adiremus ad eorum senatum . . . Itaque in curiam venimus . . . Incipit is loqui . . . Diodorus Timarchidi, cuius omnis oratio hanc habuit primo sententiam: senatum et populum Syracusanum moleste graviterque ferre, quod ego . . . in illa civitate nihil eiusmodi facerem . . ." — § 146.

(Vis loci posita est in expectatione Verris fraudata; qui a Syracusanis potissimum, quos sibi amicissimos putaverat, summorum flagitiorum coarguitur.)

Narratiuncula supra allatis simillima legitur: Vat. 38/39. Nisi quod deest necessitudinis, qua cum reis reorumque amicis patroni coniuncti esse solent, descriptio: accusat scilicet Cicero, non defendit. Contra indicatur ratio, quae intercedit inter Vatinium et Caesarem, alias fautorem eius ac quasi defensorem, hic adversarium:

„Ac si haec omnia contemnis ac despicis . . . ecquid audieris . . . C. Caesarem nuper Aquileiae . . . dixisse se C. Alfium praeteritum permoleste tulisse, quod in homine summam fidem probitatem-

que cognosset . . . tum quaesisse quendam, de Vatinio quem ad modum ferret; illum respondisse Vatinium in tribunatu gratis nihil fecisse; qui omnia in pecunia posuisset, honore animo aequo carere debere."

Cum oratio tum inventio, quam in locis adhuc memoratis deprehendimus usurpatas, artissime cohaerent cum ceterarum narrationum colore atque ratione. Earum vim, cum universa oratio magnificentior magis magisque redderetur, paulatim frangi infra discemus. Qua mutatione etiam descriptiones causae mandatae quodammodo affectae sunt: ex iocosa scilicet narratione, quam veteriores orationes praebent, in recentioribus facta est depictio gravis exclamationibusque referta. Ita ne Vatinianae quidem narratiuncula pristinum leporem servat, cum summo verborum ornatu ei loci instruantur, quibus fidem hominum de se meritorum Tullius exponit:

Flacc. 102 seq. „O nox illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti, cum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, coniurati ad ferrum et flammam vocabantur . . . Tu tum, Flacce, praetor communis exitii nuntios cepisti, tu inclusam in litteris reipublicae pestem deprehendisti, tu periculorum indicia . . . attulisti . . . Ego te, si quid gravius acciderit, ego te, inquam, Flacce, prodidero? mea dextera illa, mea fides, mea promissa! cum te, si rempublicam conservaremus, omnium bonorum praesidio, quoad viveres, non modo munitum, sed etiam ornatum fore pollicebar."

Planc. 99 seq. „O acerbam mihi, iudices, memoriam temporis illius et loci, cum hic in me incidit, cum complexus est . . . nec loqui prae maerore potuit! . . . Memini enim, memini neque umquam obliviscar noctis illius, cum tibi vigilanti, adsidenti, maerenti vana quaedam miser atque inania falsa spe inductus pollicebar, me, si essem in patriam restitutus, praesentem tibi gratiam relaturum; sin autem vitam mihi fors ademisset . . . hos . . . omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos."

In orationibus pro Flacco et pro Plancio quamquam non ipsam causam suscipiens, promittens tamen inducitur orator, reum se defensurum, si quando occasio fuerit. Contra merita sola clientis in patronum memorantur.

Rab. Post. 47. „Versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum te cum tuis copiis ad me detulisti . . ."

Sola denique familiaritas, quae oratorem et reum coniungit, affertur:

Deiot. 39. „quocum mihi amicitiam res publica conciliavit, hospitium voluntas utriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit . . ." cf. Marcell. 34.

Accepisse rationem causae delationis describendae, de quâ dixi, non ipsum invenisse Ciceronem et per se certum est et apparet ex perfectione, qua primum, quod exstat, exemplum insigne est. Est autem nata opinor in foro, exculta in scholis. Cum Romana sit, in praeceptis, quae tenemus, nusquam explanatur: tangi videtur ad Her. III, 18: „Et quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur, utile est, cum dicere desinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem."

Postulari solitum esse, ut patronus cum reo certis vinculis coniunctus esset, etiam ex Verr. II 5 § 176 seq. efficitur, ubi Cicero Hortensium vituperat, quod Verrem defendat: „Nulla tibi, Quinte, cum isto cognatio, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimium in aliquo iudicio studium tuum defendere solebas, earum habere in hoc homine nullam potes."

2. De perorationibus orationum generis deliberativi et demonstrativi.

Perorationes generis demonstrativi et deliberativi quamquam artius etiam quam exordia cum cetera oratione cohaerent, tamen certiore quadam et communiore compositionis ratione non prorsus carent. In qua tractanda proficiscar ab eo loco, qui deliberationum maxime proprius est i. e. ab adhortatione.

Eius simplicissima forma ea est, ubi orator auditores admonet, sua ut consilia sequantur, ut Philipp. III. 29 seq., IV. 11 seq., VI. 15—19, VII. 27, Catil. II. 26; quo etiam sententiae proprie dictae pertinent quibus orationes in senatu habitae finiri solebant[12]): Philipp. III. 37 seq., V. 53; VIII. 33, IX. 15 seq., X. 25 seq., (XI. 29—31): XIII. 50; XIV. 36 seq. —

Magis artem sapiunt eae adhortationes, quae ad singulos pertinent; quamquam in eis orationibus, quae universae ad certos homines spectant, eum in fine admoneri, quem per totam

[12]) cf. Muenzer, die Verhandlung über das ius honorum der Gallier im Jahre 48. Festschrift für Otto Hirschfeld 1903, pg. 35/6.

orationem orator allocutus est, non est mirum: Catil. I. 33; Philipp. II. 112 seq. — Longius a primo usu adhortationis ei loci absunt, ubi homines admonentur, qui, quamquam tractantur in cetera oratione, tamen aut numquam aut raro appellantur, ut Manilius (leg. Man. 69), tribuni plebis (leg. agr. I. 26), Antonius et Dolabella (Phil. I. 31—36).

Cum iudicialibus perorationibus deliberativis et demonstrativis communis est locus **de oratore**; cuius materia a singulis semper causis pendet, ita tamen ut raro fidem suam reipublicae asseverare orator omittat. Quae promissio saepe in ipso fine orationis legitur: leg. Manil. 69—70; leg. agr. I. 27; II. 103 („pro certo recipio hoc vobis atque confirmo"); Catil. I. 32 („polliceor hoc vobis, patres conscripti") II. 29. („Quae . . . polliceor vobis"): III. 29; IV. 24; Phil. I. 38; II. 119; IV. 16; XII. 30; redit. I. 39; II. 25. — . — Praeterea ut orationum iudicialium (Rohde pg. 138; Font. 47/8; cf. Scaur. 46 seq.) ita deliberativarum perorationes **deorum** sive **appellatione** sive mentione ornari possunt: leg. Manil. 70 („testorque omnes deos et eos maxime, qui huic loco temploque praesident.") Catil. I. 33. („Tu, Iuppiter, . . . hunc et huius socios a tuis templis . . . arcebis.") II. 29; III. 29. —

Cum commendatio oratoris et obtestatio deorum ex ipso usu et saepe ex necessitate quadam fluxerint, secundum scholae praecepta factae sunt **enumerationes** cum vituperationibus artificiose coniunctae (ad Her. III. 15), quales exstant leg. agr. II. 98/9; harusp. resp. 57—59 — et **contentiones** causarum, qualis invenitur Catil. II. 24/5. Utraque figura etiam in iudicialibus orationibus usurpatur; cf. quae infra dicam de enumeratione et de contentione.

Praecipuus denique ornatus orationum generis deliberativi et demonstrativi sunt **sententiae** illustres ex philosophia plerumque sumptae, quarum peroratio veluti arcula est, cum cetera oratio quasi gemmis eis distinguatur. Sententias suo loco tractabo; hic sufficit indicare saepius disseri de vi verae gloriae (inde a Catil. III.), de libertate populi Romani (in Philippicis), de morte contemnenda (in Philippicis). Etiam quae de vera popularitate (leg. agr. I. 23, II. 102/3) et de concordia conservanda dicuntur, quodam modo huc pertinent.

II.

Narrationes.

In narrationibus Ciceronis non solum plurima causae probandae gratia mutantur, sed etiam multa propter ipsam delectationem ornantur, variantur, finguntur. Ita fit, ut materia plane diversa ornatus semper fere idem sit. Is vero cum ad orationem compositionemque tum ad inventionem pertinet: omnia artem certam praebent. Ea quae sit, non satis exponit Rohde; qui ceterum diligentissime rem tractat (pg. 26—35). Addam igitur nonnulla; sed prius dicam

I. De fontibus artis narrandi, qua Cicero utitur.

Auctor ad Her., ubi tria genera dicendi explicat, gravis figurae exemplum affert iudicum obtestationem cum indignatione coniunctam, mediocris figurae explicationem causae argumentationemque, attenuati generis narrationem:

ad Her. IV. 14 seq. „Nam ut forte hic in balneas venit, coepit, postquam perfusus est, defricari, deinde, ubi visum est, ut in alveum descenderet, ecce tibi iste de transverso: ‚Heus, inquit, adolescens, pueri tui modo me pulsarunt; satis facias oportet.' . . . Hic: ‚Vix, tamen, inquit, sine me considerare'. Tum vero iste clamare voce ista, quae perfacile cuivis rubores eicere potest: ‚Ita petulans est atque acerba, ne ad solarium quidem . . . exercitata . . ."

Duobus potissimum ornamentis locus excellit: oratione simplici ac concisa, colloquio lepide invento. De quibus antequam accuratius dicam, alius eiusdem auctoris locus est considerandus, qui eundem ornatum etiam elegantiorem praebet.

ad Her. IV. 63/64. (explicatur notatio; cuius exponendae gratia affertur descriptio ostentatoris pecuniae): „Cum puerum respicit hunc unum . . . alio nomine appellat, deinde alio atque

alio. ‚At eho tu, inquit, veni, Sannio, ne quid is barbaris turbent'; ut . . . qui audient, unum putent selegi de multis: ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur aut ab avunculo rogetur Aethiops . . . Deinde exclamat, ut omnes audiant: ‚Videto, ut diligenter numeretur, si potest, ante noctem.' Puer, qui iam bene erei naturam norit: ‚Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie vis transnumerari.' ‚Age, inquit, duc tecum Libanum et Sosiam.' ‚Sane.' Deinde . . . veniunt hospites homini, quos iste, dum splendide peregrinatur, invitat. Ex ea re homo hercule sane conturbatur, sed tamen a vitio naturae non recedit. ‚Bene, inquit, facitis, cum venitis, sed rectius fecissetis, si ad me domum recta abissetis.' ‚Id fecissemus, inquiunt illi, si domum novissemus.' ‚At istud quidem facile fuit undelibet invenire. Verum ite mequom.' Secuntur illi." . . . (Idem fere narrationis color deprehenditur in exemplo sermocinationis, quae dicitur: § 65.)

Primum pauca de oratione dicenda sunt. Eam „ad infumum et cottidianum sermonem demissam" esse dicit auctor. (IV. 14.) Ac re vera cotidianae consuetudinis dicendi similitudo affectatur; sed ea non fons est orationis, qua exempla allata scripta sunt. Cuius brevitas, ubi quidem purissima exstat, elegantior est atque artificiosior, quam qua in sermonibus suis Romani usi sint. Immo certam rationem dicendi non solum per ora sed etiam per litteras propagatam auctor sequitur. — Magis etiam colloquia illa artem sapiunt. Quorum in origine indaganda nomina servorum nobis sunt adiumento. Quae comoediae deberi aut certum aut verisimillimum est. Ex comoedia autem fortasse etiam alia fluxerunt: Ciceronem certe in notationibus, qualem hic auctor praebet, praeter praecepta rhetorica poetas comicos secutum esse infra videbimus. Ad comoediam vero si et res et nomina spectant, inventionem etiam et orationem loci pertinere consentaneum est, praesertim cum proprietates narrationum iudicialium ex comicorum narrationibus explicari solitas esse certo sciamus: ad Her. I. 14. „Et ne bis aut saepius idem dicamus (in narrando sc.), cavendum est; etiam ne quid, . . . quod diximus, deinceps dicamus, hoc modo: „Athenis Megaram . . ." (ex incerto poeta); Cic. inv. I. 27 exemplum affertur argumenti quod dicitur ex narratione Andriae Terentianae (v. 51 seq.) = de or. II. 327; narrationis autem, quae in personis versatur, idem Terentius exemplum ministrat (Adelph. v. 60). — Sed latiore disputatione non opus est. Consensum, qui est inter comoediae narrationes et auctoris ad Her. ipsa comparatio indicabit.

Terent. Phorm. v. 91. seq.

„Interea, dum sedemus illi, intervenit
Adulescens quidam lacrumans; nos mirarier.
Rogamus, quid sit. ‚Numquam aeque, inquit, ac modo
Paupertas mihi onus visum est et miserum et grave.
Modo quandam vidi virginem hic viciniae
. . . . . .
Virgo ipsa facie egregia.' Quid verbis opus est?
Commorat omnis nos. Ibi continuo Antipho:
‚Voltisne eamus visere?'; alius: ‚Censeo.
Eamus! duc nos, sodes!' Imus, venimus. . . . "

Andriae v. 82 seq.

„Egomet continuo mecum: ‚Certe captus est:
Habet'. Observabam mane illorum servulos
Venientis aut abeuntis; rogitabam: ‚Heus, puer,
Dic, sodes, quis heri Chrysidem habuit?' . . .
. . . Phaedriam aut Cliniam
Dicebant aut Nicaretum; nam hi tres tum simul
Amabant. ‚Eho, quid Pamphilus?' ‚Quid? symbolam
Dedit, cenavit.' Gaudebam; item alio die —
Quaerebam . . ."

Eunuch. v. 335 seq.

„Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvos, tremulus, labiis demissis, gemens:
‚Heus, heus tibi dico, Chaerea' inquit. Restiti.
‚Scin quid ego te volebam?' ‚Dic.' ‚Cras est mihi
Iudicium.' ‚Quid tum?' ‚Ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mi esse ut meminerit'.
Dum haec dicit, abiit hora. Rogo, num quid velit.
‚Recte,' inquit. Abeo. . . ."

cf. Eun. v. 236 seq.; Phorm. v. 620. etc.

A comoedia Romana quin pendeat, quae in scholis discebatur ars narrandi, nemo dubitabit, qui exempla inspexerit. Ex illa, quam ipsa iampridem affectaverat, plenam perfectamque recepit

brevitatem elegantem et perspicuitatem iucundam.[13]) (Veteris rationis narrandi illustria exempla ex oratione C. Gracchi, quam habuit de legibus promulgatis, Gellius affert; Gell. X. 3. Meyer pg. 235—237. Quae exempla cum locis auctoris ad. Her. simplicitate certant; venustatem eorum non adaequant.)

2. De narratione Ciceroniana.

In ea tractanda proficiscar a rebus modo expositis, ab oratione scilicet et inventione. Deinde dicam de compositione. Tum afferam quaedam de usu ac forma variis narrandi.

a) Verborum simplicium, enuntiatorum concisorum parumque inter se coniunctorum, universae denique brevitatis elegantiaeque dicendi optima exempla adscribit Rohde. (pg. 26/7 = Quinct. 25; Tull. 20.) Sed similiter, ubicumque in narrationibus res actae subtilius atque ornatius describuntur, orator loquitur:

Caecin. 16. „Aebutio negotium datur. Adest ad tabulam, licetur Aebutius; deterrentur emptores multi partim gratia Caesenniae, partim etiam pretio. Fundus addicitur Aebutio; pecuniam argentario promittit Aebutius."

Cluent. 58. „Citatur reus; paucis verbis accusat ut de re iudicata Cannutius; incipit longo et alte petito prooemio respondere maior Caepasius. Primo attente auditur eius oratio. Erigebat animum iam demissum et oppressum Oppianicus; gaudebat ipse Fabricius." cf. § 180/1. et sescentos alios locos. — Quod autem ad colloquia attinet legas velim Verr. II. 1. § 65/6; quo ex loco facillime perspicitur ea eius generis descriptionum apta ac paene necessaria instrumenta esse:

„Homo, qui semper hospitalissimus amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubrium invitus domum suam recepisse; magnifice et ornate . . . convivium apparat; rogat Rubrium, ut quos ei commodum sit, invitet, locum sibi soli, si videatur, relinquat; etiam filium suum, lectissimum adulescentem, foras ad propinquum suum quendam mittit ad cenam. Rubrius istius comites invitat; eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. Mature veniunt, discumbitur. Fit sermo inter eos et invitatio, ut Graeco more biberetur; hortatur hospes, poscunt maioribus poculis. . . ."

Obliqua oratione in rectam conversa habes narratiunculas auctoris ad Her. comicorumque narrationibus simillimas.

Rosc. com. 49: „ . . . venit ad Cluvium. . . . Hunc posteaquam salutavit, rogare coepit blande et concinne scilicet: ‚Mentire mea causa, viris optimis, tuis familiaribus, praesentibus dic Flavium cum Fannio de Panurgo decidisse, qui nihil transegit; dic HS ɔɔɔɔɔɔɔɔɔɔ dedisse, qui assem nullum dedit.' Quid ille respondit? ‚Ego vero cupide et libenter mentiar tua causa, et, si quando me vis peierare, ut paululum tu compendii facias, paratum fore scito; non fuit causa, cur tantum laborem caperes et ad me venires; per nuntium hoc, quod erat tam leve, transigere potuisti."

Verr. II. 4. § 32. „Eo cum venio, praetor quiescebat; fratres illi Cibyratae inambulabant. Qui me ubi viderunt: ‚Ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi?' Ostendo tristis; laudant. Incipio queri me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum illi, ubi me conturbatum vident: ‚Quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur?' . . ." cf. Cluent. 71/72 = Volkmann pg. 121; Rohde pg. 29; Quinct. 16, 19; Cluent. 47, 144 (= pg. 21); Caecin. 80 (= pg. 20); Verr. I. § 19. II. 1, § 66; § 132 seq.; 3, § 62; etc.[14])

Satis materiae congessi: Ciceronem totum a schola pendere apparet. Nisi quod elegantiores eius sunt narrationes quam auctoris ad Her. magisque etiam ad exemplum comoediae accomodatae. Eam quamquam non in narratione proprie dicta, attamen in descriptione narrationi simili, plane sequitur

Pis. 61. „Quas rationes si cognoris, intelleges nemini plus quam mihi litteras profuisse. Ita enim sunt perscriptae scite et litterate, ut scriba, ad aerarium qui eas rettulit, perscriptis rationibus secum ipse caput sinistra manu perfricans commurmuratus sit:

‚Ratio quidem hercle apparet, argentum *οἴχεται*.'

b) Loci ornati, de quibus dixi, cum narrationibus proprie dictis, tum narratiunculis ornandi demonstrandique gratia com-

[13]) Praeter Romanam comoediam Quintiliani quidem aetate etiam Graeca tractabatur: Quint. inst. X. 1, 69—72.

[14]) Ne copia exemplorum opprimar, et hic et alias in narrationibus tractandis ex multis pauca eligere mihi liceat.

positis inseri solent; inveniuntur etiam in argumentationibus. Compositionis ratio, de qua dicturus sum, ad perfectas tantum narrationes pertinet. — Quae aut a rei aut a rei accusatorisque descriptione incipiunt; eorum patria, parentes, conditiones, mores primo loco explicantur. (Volkmann pg. 124; Quintil. instit. IV. 2. 129.)

Quinct. 11. „C. Quinctius fuit P. Quincti huius frater, sane ceterarum rerum pater familias et prudens et attentus, una in re paulo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Naevio fecerit, viro bono, verum tamen non ita instituto, ut iura societatis . . . nosse posset . . ." Caecin. 10. „M. Fulcinius fuit, recuperatores, e municipio Tarquiniensi; qui et domi suae cum primis honestus existimatus est et Romae argentariam non ignobilem fecit. . . ." Cluent. 11.[15]) „A. Cluentius Habitus fuit, pater huiusce, iudices, homo non solum municipii Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius et vicinitatis virtute, existimatione, nobilitate facile princeps . . ." cf. Caecil. 55; Verr, II. 2, §§ 25, 35, 53, 68, 83, etc. —

Ratio a personis initium faciendi ex iudiciali consuetudine auditorumque commoditate maxime fluxit; qui de reo et de accusatore statim initio certiores faciendi erant.[16]) Tamen apud Graecos is usus minus certus est. Fortasse hic quoque comoediae rhetoribus et oratoribus quodammodo exemplo fuerunt; quae narrationes similiter compositas in expositione argumenti praebere solent: Terent. Andr. v. 49 seq. v. 69. — Adelph. v. 40. seq. — Eun. v. 107 seq. — cf. prologum comoediae Argentoratensem v. 16. seq. Reizenstein Hermes XXXV. pg. 622.

Reliquus cursus narrationum a materia semper, ut par est, pendet. Id tamen habet commune, ut allocutionibus adhortationibusque iudicum crebro interrumpatur: Volkmann: 116/7; ita Quinct. 22: „Obsecro, C. Aquili vosque, qui adestis in consilio, ut diligenter attendatis . . ." 28. „Existima, C. Aquili, . . . Naevium fecisse . . ." Rosc. Am. 20 „Ne diutius teneam, iudices . . ."; Caecin. 15. „mandat, ut fundum sibi emat, — cui tandem? — cui putatis ?" etc. — Ceterum ut in causis simplicibus narrationes

[15]) cf. Quint. inst. IV. 2,16.

[16]) De quibus tamen non sine arte ita Cicero loqui solet, ut omni ira et studio omisso quasi ignotorum res exponere videatur. cf. Quint. inst. IV. 2,11.

nudiores sufficiunt, ita in contortis, qualis est Cluentiana, et materia in plura capita dividenda est[17]) et iudices saepius monendi sunt, ne copia rerum fatigati minus attente audiant: §§ 17, 19, 20, 25, 26, 30, 34, 41, 43, 45, 49, etc. —

Praeterea narrationes argumentationibus exemplisque, conquestionibus, iucundis hominum descriptionibus distingui ac quasi pingi solent; ita argumentationibus: Quinct. 26. (Cicero, postquam narravit Naevium a praetore petivisse, ut bona Quincti socii possideret, hoc modo argumentatur): „Etenim si veritate amicitia . . colitur, necesse est iste, qui amicum . . . spoliare conatus sit, vanum se . . . esse fateatur . . ." Rosc. Am. 22. (Cicero, postquam narravit praedia Chrysogono adiuvante a Rosciis interfectoribus empta esse, id quomodo imprudente Sulla fieri potuerit, explicat.) cf. Cluent. 55. etc. . . . exemplis: Cluent. 32. (Cum Oppianico Auriam praegnantem occidente comparatur mulier Milesia, quae sibi partum abegit) etc. . . . conquestionibus: Cluent. 15.[18]) (Narratur Sassiam genero nupsisse; additur conquestio: „O mulieris scelus incredibile . . . o libidinem effrenatam. . . ." cf. 48; Verr. II. 5. § 163 (= Gellius N. A. X. 3) depictionibus: Cluent. 12. (Sassiae); 46 (Fabriciorum); Verr. II. 1. § 64 (Rubri) etc. —

Ita, cum in universum unum colorem narrationes praebeant, varietate non prorsus carent; quoniam initia eaeque partes, quibus res tantummodo exponuntur, oratione simplici ac minus artificiosa conscripta sunt, depictiones, narratiunculae, colloquia eleganti brevitate excellunt, conquestiones insignes sunt genere elatiore. —

In fine denique narrationum exponi solet, qui status controversiae sit, cum in iudicium deferatur: Volkm. pg. 124; Quinct. 32; Rosc. Am. 29; Caecin. 23.

c) Rohde (pg. 30/1.) explicans, cur recentiores orationes narrationibus careant, recte iudicat eas causas, quae a Cicerone tantummodo peroratae sint (Mur., Flacc., Sest., Cael., Scaur., Balb.), copiosiores rerum expositiones idcirco non admisisse, quia controversia iam ab aliis explanata repetere, quae auditores

[17]) Quint. inst. IV. 2,85; Rohde pg. 29.

[18]) Quint. inst. IV. 2,105.

scirent, non e re fuerit. Ne ea quidem, quae de narrationibus in or. pro Deiot., Lig., Planc., Sulla omissis disserit, non placent. Sed summa disputationis eius non satisfacit. Ut enim parum intellexit narrationes oratorias non minus ad delectandum quam ad docendum factas esse, ita non satis vidit eas cum historiae tum artis monumenta esse. — Ars vero etiam in eadem materia cum sensu hominum ac iudicio mutatur. Quod ne in narrationibus quidem non accidit. Eae si, a iuvene Cicerone diligentissime excultae, a seniore negligentius tractatae sunt — studium rerum lepide enarrandarum et apud auditores et apud oratores cessavit, delectatio iam in aliis partibus orationis quaerebatur.[19]) Id exemplis probare conabor.

Primum non concedo Francisco Rohde (pg. 27 - 29) narrationis longitudinem a sola causae longinquitate pendere et in recentioribus orationibus propterea oratorem accuratioribus descriptionibus rerum gestarum supersedere, quod causae celebriores ac pluribus notae fuerint. Causa Rosciana nonne celeberrima fuit? At copiosissime narratur. Si vero in orationibus pro Ligario et pro Deiotaro materia et iudex latiorem narrationem non patiebantur (quod mihi non plane persuasum est), in Miloniana Cicero cur non copiosius, elegantius, suavius narravit?[20]) Causa quidem digrediendi exornandique plurimas occasiones praebuit. Denique etsi ipsos rhetores praecepisse, ut narratio interdum ommitteretur, recte Rohde adnotat, tamen hoc casu non fit, ut in recentioribus potissimum neglegatur. Immo luce clarius est, duorum munerum, quibus vetus narratio fungebatur, alterum — delectandi scilicet — paulatim interire, alterum — docendi — magis magisque transferri ad argumentationes. — Scilicet pristina narratio aut suum locum habet et eiusdem, ut ita dicam, iuris est atque ceterae partes orationis (ordo is est: principium — transitio: „dabo operam, ut a principio res quem ad modum gesta et contracta sit, cognoscatis“ = Quinct. 11, — narratio — conquestio, testes, etc. — tum demum sequitur: partitio; cf. Rosc. Am., Quinct., Caecin., leg. Manil.) — aut sive sequens partitionem (Tull., Arch., Cluent. 11—59) sive argumentationi prorsus inclusa (Cluent. 175 seq.; Caecil. 55—56; Verr. cf. Rohde pg. 29.) certis tamen finibus circumscribitur, quibus a cetera oratione clare separetur. In orationibus pro Rab. Post. (4), pro Deiot. (10—11), pro Lig. (2—3) vero una paene Tullius et narrat et argumentatur.

[19]) cf. Tacit. dial. 19. (ubi tamen nonnulla ad eos oratores pertinent, qui ante Ciceronem vixerunt) et 20.

Quod praecepta, quae de narratione dat senex Cicero, plane ad veterem rationem narrandi spectant — part. or. 32: „suavis autem narratio est, quae habet admirationes . . . interpositos motus animorum, colloquia personarum . . .“ = de or. II. 328 — ut alias ita hic usus cum doctrina non congruit.

[20]) Cautum erat, oratio ne trium horarum spatium superaret (Cic. Brut. 324, de fin. IV. 1); sed id solum causae fuisse, cur minus late Cicero narraret, credere non possum.

Accedit, quod quam purissimam formam narrandi esse supra vidimus, brevitas elegans, paulatim deflorescit. Ita in div. in Caecil., causa sine dubio gravissima ac summo ornatu digna, pristina simplicitate uti orator non repudiavit (55—56), quamquam ut dignitatem rei indicaret, caput orationis concinnioribus complexionibus instruxit. In orat. pro Archia vero (habita a. 62) narrationem adaequat ceterae orationi; quae cum ad *ἐπιδεικτικὸν* genus, quod vocant, pleraque pertineat, narratio quoque (4—7) quasi rotundius conscripta est. Quod si magis g e n e r i Archianae quam aetati eius debetur — ut docent orationis pro Flacco habitae tribus annis post § 46—50, ubi tenuitas mera servata est — reversus certe ex exilio vetera praecepta paene nusquam Cicero sequitur.[21]) Nam licet in eis narrationibus, quas in or. pro Lig. aliisque legimus, brevissime res exponantur, venustatem, qua Quinctiana, Cluentiana, Caeciniana praestant, in illis frustra quaeres.[22])

cf. Lig. 2—3.[23]) „Itaque Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus; cui sic praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset eius integritas ac fides. Bellum subito exarsit, quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri quam parari. Quo audito partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore primo salutis, post etiam studii sui quaerebant aliquem ducem, cum Ligarius domum spectans, ad suos redire cupiens nullo se implicari negotio passus est.“

[21]) Sequitur e. g. dom. 15—18.

[22]) Tacitus (dial. 22) ad totas orationes spectans veteres narrationes suo iure nimis longas esse iudicat; qui narrationes per se solas considerat, veteres recentioribus praeferet.

[23]) Quint. inst. IV. 2, 109/10.

Etiam Milonianae narratio, cui multa cum veteribus narrationibus communia sunt, et ornatior est et minus dilucida quam illae.[24]) — Ceterum cum veteri brevitate dicendi, qui summus eius fuerat ornatus, colloquia lepide ficta cessaverunt: in recentioribus orationibus rarissime inveniuntur.

Mutatio, quam narrationem passam esse videmus, cum ea mutatione, quam universa ratio dicendi Ciceronis passa est, artissime cohaeret. Quam exponere non huius loci est. Id unum memorandum videtur, quod initio significavi: narrationem pristinam esse unum ex tribus illis generibus, quae omnis orationis quasi fundamenta auctor ad H. circumscribit. Cicero vero ut hoc genus diligenter coluit, ita duo cetera iunior non neglexit paucisque rebus mutatis[25]) adeo severe in or. pro Quinct. et pro Rosc. Am. fines eorum servavit, ut quaelibet pars orationum harum certo generi ascribi possit.[26]) Postea cum veteri ruditate simplicitas vetus novae concinnitati et tumori quamquam inaequabiliter et paulatim cessit certisque generum finibus turbatis antiqua varietate carere orationes coeperunt. In recentissimis orationibus vero, licet Cicero ad veteriorem rationem ceterum descendere videatur, pristinum leporem neque in narrationibus proprie dictis neque in narratiunculis, quales argumentationibus inseruntur, iam invenit: succubuerat genus illud lepidum iocosumque Asianorum gravitati, elegantiae, fremitui.

[24]) Quamquam causae capitales orationem paulo elatiorem iampridem postulasse videntur; cf. Rosc. Am.

[25]) Ita et genus grave, quod apud Ciceronem invenitur, ornatius est quam auctoris et medii pars quidem concinnior; nec non Tullius praeter narrationem tenuem argumentationem acutam praebet: quam auctor quoque noverat — ea neglecta oratio iudicialis vix esse potest — sed indicare omisit.

[26]) Panca exempla ex Quinctiana afferam: C. genere medio utitur in principio (1—10), generis acuti altera forma in narratione (11—32), altera in argumentatione (37 seq.), genere gravi in conquestione (71—73), in conclusione (46—47), in peroratione. (98).

III.

Argumentationes.

In exordiis et perorationibus locorum consensum certum et tritum esse vidimus; quocum si ea comparantur, quae Cicero aut immutavit aut nova addidit, pauca tantum deprehenduntur. In argumentationibus[27]), quarum ceterum ratio principiorum rationi et perorationum simillima est, longe aliter res se habet. Hic enim, cum fundamenta a schola et ab usu quasi iacta sint firma ac perfecta, quae in usitatioribus quidem causarum generibus ne senex quidem Tullius relinquit, permulta ab eodem cum alias tum in illustrioribus causis et a solita ratione remotioribus exornantur, immutantur, renovantur. Modo conferas Roscianam ex aridis rhetorum locis pleramque consutam cum recentioribus orationibus, eruditionis et ornatus cuiuslibet plenis, rectissime iudicare concedes Tacitum (dial. 22) adolescentis Ciceronis artem cum pariete firmo et durato, sed non satis expolito et splendenti, comparantem, viri maxime admirantem. Quem progressum utinam accuratius demonstrare possem! Ex schola profectum oratorem nec praecepta eius umquam prorsus deserentem paulatim crescere materiaque veteri magis magisque renovata suum aurum aliorum formis infundere non sine gaudio videres. Sed tali operi vires meae non sufficiunt; quod perfectam historiae, philosophiae, iurisprudentiae, ex quibus Cicero hausit, cognitionem postulat. Itaque satis habeo ea afferre, quae maxime in aperto sint. Quae cum ad materiam e scholis et usu receptam pleraque pertineant, rarior occasio erit earum rerum indicandarum, quas sibi ipsi Cicero debet. — Ceterum ut tota argumentationum tractatio imperfecta, ita partitio, quam sequar, manca erit. In priore parte enim, quae erit de singulis locis, magis quia quilibet ordo melior est nullo, quam quod perfecte materiam ea ratione disponi arbitrer, exordiar ab eis formis argumentandi, quae certorum

[27]) Hoc nomine complector argumenta proprie dicta, locos communes, sententias — personas separatim tractabo.

generum orationum propriae sunt; deinde de brevioribus argumentis dicam; tum sententiis, quae vocantur, tractatis conformationes enumerabo; addam locorum, quos Tullium ipsum aut composuisse aut mutuatum esse certum est, brevem conspectum. In altera parte vero de universa, qua Cicero utitur, argumentandi ratione disseram. —

A. Loci singuli.

De causis capitalibus.[28])

Crimina capitalia tractans licet secundum causas semper argumentationes Cicero variet, eandem tamen ubique formam earum et rationem praebet. Primum enim quaerere solet, quae ante scelus — sive est scelus sive putatur — facta sint, deinde, quid in ipso facinore signorum aut argumentorum apparuerit, tum, quae gesta sint post scelus commissum. Prima igitur parte argumentationis atrocitas criminis deploratur, causae necis explanantur, mores rei describuntur; secunda facultas rei gerendae exponitur, qui ministri fuerint, examinatur, praecipue vero tempus et locus disceptatur idoneine fuerint; tertia, quid ex rebus post factis efficiatur, exponitur, quaestiones servorum, conscientia rei, alia argumentandi gratia afferuntur. Quos locos Rohde plerosque congessit (pg 146/7 cf. locos, quos in singulis partibus indicabo.) Eos tamen cum significaverit magis quam exposuerit cumque causas capitales non satis a ceteris secernat, neque universae argumentationis forma neque singulorum locorum consensus satis apparent. Qui ut perspiciantur, rem retractabo. — Accedit, quod argumentationibus descriptiones necum adduntur, quas a Francisco Rohde prorsus neglectas hic indicare operae pretium est.

I. Argumentationes.

Defenditur Sex. Roscius; Rosc. Am. 37—77.

I.

37—73; — § 38 „In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro exstitit, ut, si quando auditum sit,

[28]) Causas sicariorum veneficiorumque (de or. II. 105) uno nomine complector; singularitates utrarumque ex conspectu, quem afferam, satis disces. —

portenti ac prodigii simile numeretur, quibus tandem . . . argumentis accusatorem ceuses uti oportere? nonne et audaciam . . . singularem ostendere et mores feros immanemque naturam et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, denique omnia ad perniciem profligata atque perdita? . . .“ (cf. Rohde inde a pg. 48.)

II.

73–76 (includitur pars III): 79–82 —; 73 „Non quaero abs te, quare . . . occiderit; quaero, quo modo occiderit.“ — 74 (= 79—81) „ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romae non fuit; si per alios fecisse dicis, quaero, servosne an liberos? . . . indidemne Ameria an hosce ex urbe sicarios? . . .“ (Rohde pg. 59/60 = „ex loco“; pg. 60/1 = „ex tempore“; pg 61 = „ex occasione.“)

III.

77—78 „O . . . rem miseram . . . quod in tali crimine, quod innocentibus saluti solet esse, ut servos in quaestionem polliceantur, id Sex. Roscio facere non licet!“ (Rohde pg. 92 3; cf. de quaestionibus pg 152.)

Accusatur T. Roscius; 84—128.

I.

84—91; — 84 seq. „L. Cassius ille, quem populus Romanus verissimum et sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisset? . . . In hac enim causa cum viderent illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse, illud quidem non quaererent, cui bono fuisset, sed eo perspicuo crimen et suspicionem potius ad praedam adiungerent quam ad egestatem. Quid, si accedit . . ., ut tenuis antea fueris? . . . ut avarus? . . . ut audax? . . . ut . . . inimicissimus? . . . Video igitur causas esse permultas, quae istum impellerent.“

II.

92–93 „videamus nunc, ecqua facultas suscipiendi maleficii fuerit. — Ubi occisus est Sex. Roscius? — Romae. Quid?

tu, T. Rosci, ubi tunc eras? Romae. . . . Age nunc ceteras quoque facultates consideremus. Erat tum multitudo sicariorum . . .“

III.

95—128: —95: „Videamus nunc strictim, sicut cetera, quae post mortem Sex. Rosci abs te, T. Rosci, facta sunt: . . . Tene . . . tibi partes istas depoposcisse, ut in iudicio versarere et sederes cum accusatore? Qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur et impudentia.“ — 96: „Occiso Sex. Roscio quis primus Ameriam nuntiat? . . . Qua ratione . . . Capitoni primum nuntiavit?“ . . . 97 „quid haec tanta celeritas . . . significat?“ . . . 105: „Age nunc illa videamus . . . quae statim consecuta sunt. Ad Volaterras . . . mors Sex. Rosci quatriduo . . . Chrysogono nuntiatur. . . . Curat Chr., ut eius bona veneant statim.“ . . . 119: „Dixi iam antea saepe numero postulatos esse ab istis duos servos in quaestionem. Tu semper . . . recusasti. . . . Iine, qui postulabant, indigni erant? . . . an is te non commovebat, pro quo postulabant, an res ipsa tibi iniqua videbatur? . . .“

Defenditur A. Cluentius: Cluent. 167—187.

1) docetur Oppianico adulescenti non dedisse venenum: 167/8.

I.

„Quid umquam Habitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? quid autem magno opere Oppianicum metuebat . . .?“

II.

„Quod autem tempus veneni dandi illo die . . .? per quem porro datum? unde sumptum? . . . cur non de integro autem datum? . . . Nego illum adulescentem . . . omnino illo die esse mortuum. . . .“

III. (cum parte II artius cohaeret.)

„Dico illum . . . aliquot dies aegrotasse et ita esse mortuum.“

2) docetur Oppianico, viro Sassiae, non dedisse venenum: 169—187.

I.

169/70 „In quo primum illud quaero, quae causa Habito fuerit, cur interficere Oppianicum vellet. . . . homines inimicos suos morte adfici volunt, aut quod eos metuunt, aut quod oderunt: . . . quid metuebat? . . . Si autem, quod oderat . . . adeone erat stultus, ut illam, quam tum ille vivebat, vitam esse arbitraretur?“

II.

172 seq. „Age vero, per quem venenum datum? . . . Iam vero illud quam non probabile, . . . in pane datum venenum! . . . At repentina morte periit . . .“ (Sequitur descriptio mortis.)

III.

176—187 Narrantur quaestiones a Sassia in servos habitae.

3) Similis cursus argumentationis est § 50—55, ubi Scamandri causam Cicero se defendisse narrat. Qui locus, cum alius oratoris (Cannuti) orationem adumbret (50 „aperiebatur causa insidiarum, Fabriciorum familiaritas commemorabatur . . .“ 53 „quaerebat, cur in eius modi locum . . . cur solus . . . venisset“), eadem, qua Ciceronem, via ceteros oratores in causis capitalibus usos esse docet; si rem manifestam doceri necesse est; cf. infra: „ceterorum patronorum.“

Necis veneficiique criminibus addatur crimen pecuniae necis patrandae gratia sumptae: Cael. 51—54 I. 53 „Possum dicere mores M. Caeli longissime a tanti sceleris atrocitate esse disiunctos; minime esse credendum homini tam ingenioso . . . non venisse in mentem rem tanti sceleris ignotis alienisque servis non esse credendam. II. Possum etiam illa et ceterorum patronorum et mea consuetudine . . . perquirere, ubi sit congressus cum servis . . . qui ei fuerit aditus; si per se . . . si per alium, per quem? . . . non causa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficii spes, non ratio ulla, non vestigium maxumi facinoris reperietur.“ — Liberius solito Cicero argumentatur: praeteriens tantum usitatos locos indicat; summa argumentationis in §§ 52/3 (Clodiam de usu auri celari non potuisse) et 54/5 (testimonium Luccei) versatur. Id propterea facit, quod statim post hoc crimen

aliud simili ratione explanandum, veneni Clodiae dati scilicet, allaturus est In quo cum artius praecepta observari e re sit, ne bis eadem dicendo auditores fatiget, hic multa „brevitatis causa“ (§ 54) relinquit.

Cael. 56 – 66; crimen veneni dati dissolvitur.

I.

56 „Quae fuit enim causa . . .? Credibile est igitur tantum facinus ob nullam causam esse commissum.“

II.

57 seq. „Cui denique commisit, quo adiutore usus est, quo socio, quo conscio, cui tantum facinus . . . credidit? . . . Et erat tam demens hic, . . . ut omnis suas fortunas alienis servis committeret? . . . Ipsius autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est, quemadmodum paratum, . . . cui, quo in loco traditum? . . . 61 Hic primum illud requiro, quid attinuerit fieri in eum locum constitutum“ (sequitur narratio rei gestae et reprehensio testium).

III.

66 „Quaero . . ., cur Licinium . . . de manibus emiserit, cur non comprehenderint . . .“

Defenditur Milo; accusatur Clodius; Mil. 32–64.

I.

32 „Satis est in illa quidem tam audaci, tam nefaria belua docere magnam ei causam . . . in Milonis morte . . . fuisse. Itaque illud Cassianum (cf. pg. 37 et Phil. II, 35), cui bono fuerit, in his personis valeat . . 36 Reliquum est, ut iam illum natura . . . consuetudoque defendat . . “ (In sequentibus paragraphis, cur Clodius, non Milo, caedem facere instituerit, exponitur; testimonium Favoni explanatur; alia, quae ante facinus gesta sunt, commemorantur.)

II.

48 „ . . . Nunc persequar cetera . .; 49 Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius quam expetendus fuit, sic Miloni,

cum insidiator esset, si illum ad urbem nocte accessurum sciebat, subsidendum atque exspectandum fuit . . . 53 Videamus nunc id, quod caput est, locus ad insidias . . . utri tandem fuerit aptior.“ (sequitur vestitus habitusque descriptio utriusque.)

III.

57 „Cur igitur (servos) manu misit? . . . 58 Quos nisi manu misisset, tormentis etiam dedendi fuerunt conservatores domini . . . 59 De servis nulla . . . quaestio est in dominum nisi de incestu . . . 61 . . . quae fuerit celeritas reditus (Milonis) . . . quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio . . .“

Defenditur Deiotarus: Deiot. 15–22.

I.

15–16 „Ut enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit . . . tantae importunitatis . . . tantae ferocitatis . . . tam inhumani et ingrati animi . . . At, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat. Quis consideratior illo . . .? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem caderet propter metum praesentis exitii nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo et ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis?“

II.

(17 seq. Adversariorum necis descriptio reprehenditur.) 18 „Quod igitur . . . conari occultius . . . potuit (veneno usus scilicet, cuius dandi occasiones subtilius explicantur) id (venenum) tibi et medico callido et servo, ut putabat, fideli non credidit; de armis . . . celare te noluit?“

III.

19 „Quid postea? . . . nullus erat alius insidiandi locus? . . . 20 Num quae trepidatio, num qui tumultus? . . .“ (Ordo liberior est; tertia parte absoluta in medias res orator redit.)

2. Descriptiones necis.

Non eas intellego descriptiones, quae in narrationibus sive in argumentationum partibus pro narrationibus positis inveniuntur; eas tracto, quas cum argumentatione arte coniunctas

eiusque quasi cumulum orator afferre solet. Quibus facinus acriter depingitur et veluti ante oculos ponitur iudicum; quamobrem semper fere iudices appellantur invocanturque.

Rosc. Am. 98 „Nonne vobis haec, quae audistis, cernere oculis videmini, iudices? non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem a cena videtis? . . .“

Cael. 67 „Praegestit animus iam videre primum lautos iuvenes . . . deinde fortis viros . . . in insidiis atque in praesidio balnearum locatos . . .“

Mil. 53/4 „Res loquitur ipsa, iudices, quae semper valet plurimum . . . Videte nunc illum primum egredientem . . .“

Deiot. 20 „Obsecro, Caesar, repete illius temporis memoriam, pone illum ante oculos diem . . .“

Locos, quos attuli, quamquam in ipsa rerum capitalium natura plurimi positi sunt, ita, ut eos in iudiciis natos esse necesse sit, tamen, qua forma exstant, ea scholae magis quam vitae deberi et consensus argumentorum et subtilis divisio indicant. Quamquam praecepta, quae plane huc pertineant, non tenemus. Quae enim affert Rohde (pg. 144/5) = ad Her. II. 8, Cic. inv. II. 19 seq. (cf. Quint. inst. V. 10, 32 seq.) nimis communia sunt: praeter ea alia causarum capitalium magis propria Cicero secutus est. Id tamen certum est diligenter eum, quae adolescens didicisset, ea per totam vitam observasse. Si enim quid profecit in verborum exornatione et in compositione singularum partium, id hoc loco non est exponendum: materiam certe non mutavit: locos, quos acceperat, causis accomodavit: novos non invenit. Idem ceteri patroni fecerunt. — Ceterum facillime argumenta, de quibus dixi, in memoria haerent; eam in hac quidem re consuli solitam esse, non commentarios, est consentaneum. —

De causis ambitus.

Qui candidati in petitionibus repulsas tulerunt, saepissime competitores suos, magistratus sc. designatos, ambitus accusaverunt; patroni autem in omnibus eius generis causis simillima usi sunt defensione. Eius maior pars versabatur in contentione instituta inter competitores; cuius perfectum exemplum exstat

Mur. 15—53, ubi

1) dignitas competitorum tractatur, quae in genere et parentibus posita est (15—17); cf. 15 „Sin autem sunt amplae et honestae familiae plebeiae, et proavus L. Murenae et avus praetor fuit, et pater . . .; 16 Tua vero nobilitas, Ser. Sulpici . . . Pater enim fuit equestri loco, avus nulla . . . laude . . .“ [29])

Adduntur exempla hominum, qui minus nobiles summos honores consecuti sunt; quae, quamquam ad Sulpici defensionem magis pertinerent, Murenam defendens Cicero affert, ne sua sibi ignobilitas crimini detur. Quae exempla harum orationum propria esse infra ostendam.

2) facta, mores, vitae officiorumque ratio utriusque comparantur (18—34).

3) loco communi de comitiorum eventibus incertis allato (de quo infra accuratius dicam) et priore contentione honorum leviter tacta, utrique quae ex vita et consuetudine adiumenta vel impedimenta ad consulatum petendum nata sint, exponitur (35—42).

4) describitur ipsa petitio (43—53).

Eadem fere argumentatio, quamquam minus copiosa, ut par est in honore inferiore et homine minus insigni, ac negligentius composita legitur Planc. 12—26 et 49—55: 12—16 de comitiorum ratione deque vi casus — 17—18 generis comparatio — 19—26 (quae pars cum proxima arte cohaeret): adiumentorum enumeratio: non desunt exempla hominum, qui e municipiis orti summos honores consecuti sunt — 49 de contentione priore — 51/2 virorum exempla clarorum, qui adulescentes repulsas tulerunt — 53—55 de Laterense in ipsa petitione parum cauto —. — cf. orationem habitam in toga candida; quae tamen, cum et nimis mutila sit et parum orationibus indicatis similis, certiorem consensum non exhibet. —

Haec de universa argumentatione; restat, ut singulos locos inter se conferam.

[29]) cf. Quint. inst. IV, 2, 15.

a) De incertis eventibus comitiorum.

Muren. 35/36 (Rohde locum in „imaginibus“ affert pg. 77): „Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes . . . fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? . . . Saepe etiam sine ulla aperta causa fit aliud, atque existimaris, ut non numquam ita factum esse etiam populus admiretur; . . . Quis L. Philippum . . . a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum humanitate, sapientia, integritate antecellentem a Cn. Mallio? quis M. Scaurum . . . a Q. Maximo? . . .“

Planc. 12 „M. Seium . . . M. Pisoni praetulisse (populum); praeposuisse se (= populum) Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, non dico C. Serranum, stultissimum hominem . . . sed Cn. Mallium, non solum ignobilem, verum sine virtute . . . 15 Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur, si campus atque illae undae comitiorum ut mare profundum et immensum sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant, tanto nos in impetu studiorum et motu temeritatis modum aliquem et consilium et rationem requiremus?“

Comitia atque contiones praeterea cum mari turbido comparantur: Cluent. 138, Flacc. 57 [30]); eorundem eventus incerti significantur: Mil. 42. — De ratione petitorum commendandorum cf. Q. Ciceronis libellum de petitione consulatus

b) Exempla hominum novorum.

Ea hic afferre placet. Quamquam enim etiam in aliis orationibus ea legi infra docebo, tamen huc maxime pertinent, cum in petitionibus magistratuum potissimum genus et patria minus nobilia defendenda sint. Quae ut parvi aestiment auditores, exemplis virorum, qui ex humilibus locis ad summos honores pervenerunt, patroni utuntur; quae ex communi thesauro

[30]) Imaginem in usitatis fuisse etiam Vergilius docet non cum mari contionem, sed mare turbidum cum contione Neptunique „placidum caput“ cum oratore aetate et meritis gravi pulcherrime comparans Aen. I. 148 seq. — cf. Cluent. 138 „id, quod saepe dictum est.“ et Nissen, Ital. Landeskunde I. pg. 133/5.

pleraque promunt. — Fieri tamen potest, ut etiam alias sive rei minus nobilis sive suum genus et patriam criminibus orator purget; quas in causas eadem exempla quadrant atque in petitiones. Ita Cicero trita plurima atque usitata nomina praebet. Quamquam, cum ipse homo novus summam gloriam quaereret, eiusdem conditionis homines non solum cognitos habuit sed etiam dilexit ac quasi cognatos coluit. Neque vero antiquis exemplis et viros, quos ipse viderat, et se ipsum addere omisit; ita ut hic optime cognoscas, quam diligens fuerit in veteri materia ornanda atque renovanda.

Muren. 17 „Quamquam ego iam putabam, iudices, multis viris fortibus ne ignobilitas generis obiceretur, meo labore esse perfectum, qui non modo Curiis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis fortissimis viris, sed his recentibus, Mariis et Didiis et Caeliis, commemorandis iacebant.“

Eorundem nominum partem Cicero affert, ubi studia Arpinatium in municipales cum Tusculanorum comparat: Planc. 20 „Num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo . . . num de Ti. Coruncanio . . . num de tot Fulviis gloriari? . . . At in quemcumque Arpinatem incideris, . . . erit tamen tibi fortasse . . . de nobis aliquid, sed certe de C. Mario audiendum.“

cf. Verr. II. 5 § 1801 „sed non idem licet mihi, quod iis, qui nobili genere nati sunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur. . . . Venit mihi in mentem M. Catonis . . qui cum se virtute, non genere, populo Romano commendari putaret . . . hominum potentissimorum suscepit inimicitias. . . Postea Q. Pompeius humili atque obscuro loco natus nonne plurimis inimicitiis . . . amplissimos honores est adeptus? Modo C. Fimbriam, C. Marium, C. Caelium vidimus non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendere. . . .“

Quam diverse eadem materia orator uti sciverit, videbit qui locum modo allatum cum hoc conferet:

Sull. 23 „Nemo istuc M. illi Catoni seni, cum plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo M.'Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inviderent, obiecit umquam (quod e municipiis essent).“

Cum igitur supra propter genus minus nobile inimicitias suscepisse Cato, Marius, ceteri significentur, eisdem patriam

umquam crimini datam esse hic negatur. — In contrariam partem Cicero etiam argumentatur Cluent. 111/2 „Et iam querimur saepe hominibus novis non satis magnos in hac civitate esse fructus? Nego usquam umquam fuisse maiores. . . . — cf. praeterea Phil. III. 15 – 17.

c) Exempla hominum, quorum dignitas repulsis non minuta est.

Index eiusmodi hominum exstat Planc. 51/2; ubi enumerantur Appius Claudius, L. Volcatius, M. Piso, P. Nasica, C. Marius, L. Caesar, Cn. Octavius, M. Tullius, aediles, L. Philippus tribunus militum, C. Caelius quaestor, P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Cassius, Cn. Orestes tribuni plebis non facti. Quibus nominibus, quamquam alias eodem consilio atque ordine scripta non inveniuntur, magna ex parte quin patroni usi sint, non dubitabit, qui indicem hominum minus nobilium saepius usurpatum inspexerit. Cum igitur nomina Ciceronis non sint propria, eius est elegans ratio, qua viri illi cum Laterensi maioribus coniunguntur. —

Hactenus de contentione petitorum. Multo brevior est ea pars, quae ad **ipsa crimina** ambitus refellenda pertinet (Mur. 67—77; Planc. 36—48.) In qua, quae via oratori sequenda sit, Cicero praecipit de or. II. 105: „Nam et de pecuniis repetundis, quae maximae sunt, neganda fere sunt omnia, et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere.." Ac re vera et Murenam et Plancium defendens id in primis fieri Tullius studet, ut criminibus negatis (Mur. 70 „At sectabantur multi. Doce mercede: concedam esse crimen. Hoc quidem remoto quid reprehendis?" — Planc. 45 „Haec doce . . . decuriasse Plancium, conscripsisse . . .") quod accusatores ambitum vocaverint, id liberalitas antiquitus usitata iudicibus esse videatur, vituperatque eos, qui pro ea liberalitate hominibus nobilioribus a plebe gratias reddi vetent: Mur. 71 „Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii." — Planc. 45 „neque vero tam durus in plebem noster ordo fuit, ut eam coli nostra modica liberalitate noluerit."

De causis repetundarum.

In repetundarum reis accusandis defendendisque plura etiam, quam videmus, communia attulisse oratores suspicari possumus. Ex quattuor defensionibus enim, quae in eius modi causis a Cicerone susceptae ad nos pervenerunt, tres mutilae sunt, una — causa Rabiriana scilicet — a solita ratione nimis abhorret. Accusatio vero una solum exstat eaque, quae usitatum modum longe superans ad communem formam cognoscendam minus apta sit. Sed etiam ea, quam tenemus, materia nonnulla praebet digna memoratu.

I. De ratione accusandi.

Si quam ex defensionibus coniecturam facere licet, quae nationis, cui reus praefuit, reprehensionum plenae sunt, accusationis magna pars in provincia illius laudanda versabatur. Quae laudatio in orationibus contra Verrem habitis per totam materiam dispersa est. Frustula eius congerere non e re esse videtur; eum locum indicare sufficit, qui continuam descriptionem Siciliae praebens speciem maxime communem habet. — Verr. II. 2 § 2—10 igitur primum antiquorum Siculorum in populum Romanum merita nec non gratia ab illis his reddita exemplis multis clarisque allatis enarrantur (2—5), deinde commoda, quae nunc praebeant, explicantur (6), tum virtutes eorum describuntur (7): „Iam vero hominum ipsorum, iudices, ea patientia, virtus frugalitasque est, ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem . . . videantur accedere; nihil ceterorum simile Graecorum, nulla luxuries, contra summus labor in publicis privatisque rebus. . . ." Ita laudatos — quod caput est — testes quoque fidos fore provinciales Cicero significat in neminem ante Verrem civitates Siciliae testimonium publice dixisse affirmans, quoniam etiam iniurias Romanorum hominum tolerare a maioribus suis didicissent (8—9).

Praeter hunc locum, cuius argumentationes, in contrarium nimirum conversas, etiam in defensionibus deprehendemus, afferenda est definitio ad voluntatem legum, quae sunt de repetundis, pertinens: Caecil. 17/18 „quasi vero dubium sit, quin

tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit. Nam civibus cum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et private iure repetuntur; haec lex socialis est"; cf. Verr. I. 42; II. 2, § 15; 5, § 126. —

In criminibus autem id primum fuisse videtur, quod Cicero Verrem, Plaetorius Fonteium oppugnans affert: iam Romae magistratus diripiendarum provinciarum cepisse consilium: Verr. II. 2 § 17/8 „Qui, simul atque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae et ad urbem, ante quam proficisceretur, quaerere ipse secum et agitare cum suis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset . . ." Font. 19 „Crimen a Plaetorio, iudices, ita constitutum est, M. Fonteio non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueret, sed hac inita iam ac proposita ratione Roma profectum." — Quod crimen ut nonnumquam verum fuit, ita saepe ex solo usu oratorio fluxisse probabile est. Quod ad reliqua crimina attinet cf. quae dicam in „vituperationibus."

Communis denique, si quid video, et saepius similiter tractata est laudatio defensionis provinciarum indice virorum socios defendentium instructa: Caecil. 64 seq. —

II. De ratione defendendi.

Ordo argumentorum certus non exstat. Sequor eum, quem oratio pro Fonteio habita exhibet:

a) Exponitur, nationes, ex quibus testes[31]) orti sunt, qua sint adversus populum Romanum ipsumque reum conditione atque animo: Font. 12—14 „(Gallia) constat ex iis generibus hominum et civitatum, qui, ut vetera mittam, partim nostra memoria bella cum populo R. . . . gesserunt, partim modo ab nostris imperatoribus subacti . . . sunt, partim qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerunt . . . dicunt contra, quibus invitissimis imperatum est." — Flacc. 19. „Mirandum vero est homines eos, quibus odio sunt nostrae secures . . . arripere facultatem laedendi, quaecumque detur?" cf. 61 (de Trallianis).

b) Inducuntur testes populo Romano amiciores, ex provincia, cui reus praefuit, sive orti sive alia ratione cum ea

[31]) de testibus cf. Volkmann pg. 146 seq. —

coniuncti, qui accusatores refellant: Font. 14—17. „Quid? coloni Narbonenses . . . Quid Massiliensium civitas? . . . Quid? civium Romanorum quae voluntas est? . . . Quid? si maiorem etiam hominum honestissimorum copiam adferam . . . ?" — Flacc. 7—9; ubi iudices ipsi pro reo testari iubentur. — Testes, qui defendunt reum, eique, qui accusant, in perorationibus eleganter sibi opponuntur: Font. 44/6; Flacc. 100; Scaur. 17, 20.

c) Alienorum testium levitas cum Romanorum fide comparatur:

Font. 27/8. „movetur (Indutiomarus) eo timore, quo nostrum unus quisque, cum in eum locum productus est? Recordamini, iudices, quantopere laborare soleatis, non modo quid dicatis pro testimonio, sed etiam quibus verbis utamini, ne quod minus moderate positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur . . ."

Flacc. 12. „Vos autem in privatis . . . iudiciis testem diligenter expenditis . . . Qui autem dicit testimonium ex nostris hominibus, ut se ipse sustentat, ut omnia verba moderatur, ut timet, ne quid iracunde, ne quid plus minusve, quam sit necesse, dicat!"

Neque omittit Cicero levitatem illam certis exemplis demonstrare, Indutiomarum scire se dixisse memorans, cum mos sit, ut arbitrari se testes dicant, Graecorum consuetudinem mutua dandi testimonia deridens. (In or. pro Flacco praeterea contentio instituitur inter comitia Graecorum Romanorumque 15—19.)

d) Fides, ingenium, mores nationum reo inimicarum detrahuntur narratiunculis ex historia allatis, moribus malis descriptis, origine obscura exposita: Font. 30/1. Gallis Delphi expugnati et mos hominum immolandorum crimini dantur. — Scaur. 42—44. Sardi ex Afris Phoenicibusque mixti esse docentur; Sardinia ne unam quidem urbem liberam habere demonstratur. — Flacc. 62—65. Exponitur origo primum pro Flacco, deinde contra eum testimonium dicentium nationum. Rohde pg. 49.

e) Reum damnari virtutem eius dignitatemque vetare orator demonstrat:

Font. 37—40. „Quod si in turpi reo patiendum non esset, ut quicquam isti se minis profecisse arbitrarentur, quid faciendum vobis in M. Fonteio arbitramini? de quo homine . . . ne ab

inimicis quidem ullum fictum probrosum non modo crimen, sed ne maledictum quidem audistis. . . .“ Flacc. 24—26. „Si quem infimo loco natum . . . defenderem, tamen civis a civibus . . . deprecarer, ne ignotis testibus . . . dederetis . . . Sed cum L. Flacci res agatur, cuius ex familia qui primus consul est factus, primus in hac civitate consul fuit . . . in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimescam, in quo, etiamsi quid errasset, omnes boni conivendum esse arbitrarentur?“

Scaur. 17. „(possum confugere) ad populi R. aequitatem qui hanc familiam in hac urbe principem voluit esse —“ 45 o. . . . „contendes tamen et postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni . . . sordidissimae, vanissimae, levissimae, genti ac prope dicam pellitis testibus condonetur?“

Hi sunt praecipui loci; restat, ut quaedam addam, quae supra neglexi, argumentorum ordinem ne turbarem. Ita locos nonnullos, quibus de consensu testium agitur, indicare omisi. Quos Rohde (pg. 43/4) et colligit et cum praeceptis rhetoricis confert[32]). Item ea argumenta non attuli, quae ad testes pertinentia orationibus in repetundarum causis habitis cum ceteris communia sive sunt sive esse possunt; cf. pg. 59 seq. — Contra pauca verba postulat Gallorum ne Romae quidem cessantis audaciae copiosa depictio: Font. 33/4. „Sic existimatis eos hic sagatos bracatosque versari animo demisso atque humili . . .? Nihil vero minus. Hi contra vagantur laeti atque erecti passim toto foro cum quibusdam minis et barbaro atque immani terrore verborum; quod ego profecto non crederem, nisi . . . ex . . . accusatoribus . . . audissem, cum praeciperent, ut caveretis, ne hoc absoluto novum aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M. Fonteium . . . deficerent omnia, . . . tamen esset vobis . . . providendum, ne . . . eorum minis et terrore commoti esse videremini.“ Magna pars huius loci ad adversarios Fontei proprie pertinet; sed similiter arrogantia testium alienigenorum etiam alias depingitur: Flacc. 61 „In hac igitur urbe se iactant?“ — Scaur. 17 „et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu terrere conere?“ — Cum gravi iudicum obsecratione ut in oratione pro Fonteio ita in oratione pro Scauro 17. descriptio, de qua egi, conexa est. — Praeterea memorandi sunt testes utrique cum militibus comparati: Font. 44/5. „At infestis prope signis inferuntur Galli in M. Fonteium . . . Constituitur ex altera parte ulterior Hispania. . . .“ Scaur. 17 seq. „Agmen tu mihi inducas Sardorum et catervas . . . sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. — Non est unus mihi quisque ex illorum acie protrahendus neque cum singulis decertandum atque pugnandum; tota est acies illa uno impetu prosternenda.“ — cf. Flacc. 100. — Quae imago, cum cetera certa arte non careant, scholam maxime arguit; cf. imaginem ex mari turbido promptam, quae ambitus reorum defensionum propria est, pg. 44. —

[32]) Haec tantum praeterea respicias velim: Flacc. 26 „nihil veritate fundatum, nihil dolore expressum.“ Scaur. 41 „una vox, una mens non expressa dolore, sed simulata.“

Argumentis tractatis **exempla** ea addo, quae in repetundarum causis communia Cicero praebet. Quae non multa sunt; haud pauca enim, quae in Verrinis a Tullio afferuntur — nec praeter Verrinas ceterae orationes exempla huc pertinentia exhibent — aut historiae monumentis aut propriae oratoris cognitioni debentur. In tritis nominibus tamen est Q. Muci Scaevolae, viri inocentissimi: Caecil. 57, Verr. II. 2. §§ 27, 34: quocum conferas indicem hominum modestorum Verr. II. 1. § 55; ubi enumerantur Marcellus, L. Scipio, Flamininus, Paulus, Mummius. — Adde nomina magistratuum cellae nomine frumentum imperantium: Verr: II. 3. § 209 — Africanorum, Catonum, Laeliorum, Q. Catuli, C. Mari, Q. Scaevolae, M. Scauri, Q. Metelli — ; quae plurima, licet paulo supra de exemplis ex monumentis et litteris petitis Cicero loquatur, aut ex commentario aliquo aut certe ex communi usu fluxerunt. —

De causis legitimis.

Cicero cum duo genera distinguat earum causarum, quae in legibus testamentisve interpretandis et in vocibus certis definiendis versantur, definitivum (inv. II. 52) et negotiale (II. 62), auctor ad Her. (II. 13) meliorem partitionem secutus easdem causas uno legitimae constitutionis nomine complecitur. Ad quam ex orationibus Ciceronianis quinque pertinent (Rohde, pg. 152—154); sed in una tantum, in Caeciniana scilicet, communium

praeceptorum argumentorumque copia, quam summam fuisse libri rhetorici docent, planius orator utitur; huc pertinent praecipue §§ 5; 41 seq.; 51—54; 65—75. Ex quibus, cum oratio a Francisco Rohde (pg. 160—164) diligenter tractetur, pauca tantum afferam. —

a) Orator aequitatem contra ius defendit:

Caecin. 51 seq. „Quae lex, quod senatus consultum ... non infirmari aut convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus ...? Sermo hercule familiaris et cotidianus non cohaerebit, si verba inter nos aucupabimur; denique imperium domesticum nullum erit, si servulis[33]) hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis oboediant ...“

inv. II. 140 „deinde nullam rem neque legibus neque scriptura ulla, denique ne in sermone quidem cotidiano atque imperiis domesticis recte posse administrari, si unus quisque velit verba spectare. ...“

Consensum locorum Rohde recte observavit, falso explicavit. (pg. 161.) Scilicet non „memoria tenuit“ Cicero, cum Caecinam defenderet, quae quindecim annis ante inventioni suae inseruit; immo, si qui locus, hic conexum, qui est inter orationes Tulli et scripta rhetorica cum eiusdem tum aliorum clare ostendit: ex eisdem commentariis nimirum et inventionem suam componens et Caecinianam orationem conscribens Cicero hausit. cf. inv. II. 143 = Caecin. 49/50. (Rohde 162/3.)

b) Orator rationem explicat, quae intercedit inter ius et iuris consultos: Caecin. 67 seq. „Cum id miror ... tum illud vulgo in iudiciis et non numquam ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirum videri solet, nec iuris consultis concedi nec ius civile in causis semper valere oportere. Nam hoc qui disputant, si id dicunt, non recte aliquid statuere eos, qui consulantur, non hoc debent dicere, iuris consultis, sed hominibus stultis obtemperari non oportere. ...“ inv. II. 68 „in plerisque fortasse ab auctoritate iuris consultorum et contra auctoritatem dici oportebit.“

c) Orator virtutes iuris civilis exponit; quod ne tangatur, monet: Caecin. 70 seq. „Nam qui ius civile contemnendum

[33]) Narratiunculas, quae sunt de Aesopo Xanthi philosophi servo, hic respici videri Fridericus Muenzer me monet.

putat, is vincula revellit non modo iudiciorum, sed etiam utilitatis vitaeque communis ... Etenim hoc sublato nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum aut quid alienum sit. ...“ inv. II. 131. seq. „deinde et ipsis iudicibus iudicandi et ceteris civibus vivendi rationes perturbatum iri, si semel ab legibus recessum sit. ...“

d) Ut argumenta, ita exempla, quae Cicero affert (53 seq.), communia esse certum est. Quorum tamen illustrissimum, causam Curianam, ex sua sine dubio cognitione Crassi affert; quae in inventione rhet. II. 122 fortasse respicitur, in rhetoricis ad Her. ne tangitur quidem, cum postea etiam in scriptis rhetoricis diligenter tractetur: de or. I. 180, 238, 242 seq. II. 24, 140 seq. Brut. 144, 195, 256. Ex quibus locis exscribam de or. II. 140/1; ubi disertis verbis Cicero dicit etiam Crassum generali disputatione usum esse: „(multitudo causarum) est enim infinita, si in personis ponitur; quot homines, tot causae; sin ad generum universas quaestiones referentur, ita modicae et paucae sunt, ut eas omnes diligentes ... oratores ... prope dicam decantatas habere debeant; nisi forte existimatis a M.' Curio causam didicisse L. Crassum ... Nihil ad copiam argumentorum neque ad causae vim ac naturam nomen Coponi aut Curi pertinuit; in genere erat universo rei negotique ... omnis quaestio.“[34]) Non inutile est hoc testimonium Ciceronis memoria tenere; qui saepissime generaliter dicendi usum a philosophis inventum, a se propagatum esse praedicat. —

De iure civitatis Romanae.

De civitate R. mutanda exstant loci in orationibus pro Caecina, pro Balbo, pro domo, quos, quamquam non plane semper inter se consentiunt — ne causae quidem eae sunt, quae unam argumentationem admittant — exponere non inutile duco,

a) Iuris civitatis firmitas ex iuris civilis firmitate concluditur: Caecin. 96. „Sed quaero de te, putesne, si popu-

[34]) Cf. Ernst pg. 11/12.

lus iusserit me tuum aut te meum servum esse, id iussum ratum atque firmum futurum? . . . deinde nihil rationis affers, quam ob rem, si libertas adimi nullo modo possit, civitas possit. Nam . . . eodem modo de utraque re traditum . . . est . . .“

dom. 77 „Sed, cum hoc iuris a maioribus proditum sit, ut nemo civis R. aut sui potestatem aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit . . . (credo enim . . . in illa adoptatione . . . te esse interrogatum, auctorne esses, ut in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet . . .), quaero, si . . . negasses . . ., num id iussum esset ratum?“

Balb. 27 „quod (ius civitatis) est . . . non solum in legibus publicis positum, sed etiam in privatorum voluntate. Iure enim nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest . . .“

b) de civibus Romanis in colonias Latinas proficiscentibus. Caecin. 98. „Quaeri hoc solere me non praeterit . . . quem ad modum, si civitas adimi non possit, in colonias Latinas saepe nostri cives profecti sint. Aut sua voluntate aut legis multa profecti sunt; quam multam si sufferre voluissent, manere in civitate potuissent.“ cf. 100. dom. 78. „Qui cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, nisi erant auctores facti nomenque dederant; qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo . . . venerant. Id autem ut esset faciundum, non ademptione civitatis, sed tecti et aquae et ignis interdictione adigebantur.“ cf. Sest. 30.

c) de Mancino Numantinis tradito: Caecin. 98 „Ut religione civitas solvatur, civis R. deditur: . . . si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam et ius civitatis.“ cf. ex tractationibus causae Mancinianae, quae in libris rhetoricis exstant, praecipue de or. I. 181., 238. (ubi similiter atque supra in orationibus fieri demonstravi, civitas et ius civile uno capite comprehenduntur; additur explanatio postliminii, quod dicitur) et top. 37. Quamquam certior consensus inter orationes et praecepta non est.

Eos tantum locos attuli, qui similes saepius usurpati ex commentariis hausisse Ciceronem manifestum facerent. Apparet etiam ceteram eius disputationem doctrinam praebere certam.

(Caecin. 95—101; dom. 77—81; Balb. 27—31.) Ita cum multa alia tum index exulum (Balb. 28) et causa Publici Menandri (l. l.) in communibus sunt argumentis. Tritam tamen materiam sua experientia ornare orator studuit. (Caecin. 97; Balb. 30.)

De societate laesa.

Rosc. Am. 111—113; 116—117. Narrat Cicero Roscium Capitonem impedivisse, quominus mandata Amerinorum Sullae ad aures pervenirent; quod quam sceleste factum sit, ut perspiciatur, ex privati negotii laesi atrocitate publici laesi immanitatem coniciens copiose mandati neglecti improbitatem exponit 111:

„Itaque mandati constitutum est iudicium non minus turpe quam furti . . .“

idem explanat amicitiarum vim atque pretium 111/2:

„Non enim possumus omnia per nos agere; alius in alia est re magis utilis. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur . . .“

nec non inopiam eius, qui a socio fallitur 116:

„Tecti esse ad alienos possumus, intimi multa apertiora videant necesse est; socium cavere qui possumus?“

Locus non sine vi quadam argumentationi innexitur; legati enim, qui ad Sullam Ameria profecti sunt, neque cum Capitone societatis vinculo coniuncti erant neque, quam culpam ille in se contulit, ea ipsi caruerunt. Quae inconcinnitas in communium argumentationum numero locum fuisse indicat. Proprius fuit sine dubio earum causarum, quae pro sociis fraudatis dictae sunt; quamquam in eis eius generis orationibus, quas nos tenemus, non exstat (Quinct., Rosc. com.). — cf. praeterea Verr. II. 1 § 39 „Nullae sunt occultiores insidiae quam eae, quae latent in simulatione officii aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis; hoc vero occultum intestinum ac domesticum malum non modo exsistit, verum etiam opprimit, antequam . . . explorare potueris.“ — cf. Caecin. 7; Rosc. com. 16; top. 42. —

Argumentationi, quae ad societatem laesam pertinet, et materia et compositione similis est ea, quae spectat ad

proscriptionem bonorum,

quam communem esse, etsi semel tantum apud Ciceronem invenitur, et res ipsa saepissime sine dubio tractata et ars in re exponenda usurpata docent: Quinct. 49—54.

1) Miseriae eius, cuius bona venierunt, deplorantur: 49—50 „Nam quid homini potest turpius, quid viro miserius aut acerbius usu venire? . . . Cuius . . . bona venierunt . . . is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur . . .“

2) Proscriptione non nisi ceteris rationibus frustra temptatis utendum esse exponitur: 51. 54. „Viri boni cum palam fraudantur, cum experiundi potestas non est, timide tamen et pedetemptim istuc descendunt vi ac necessitate coacti, inviti, multis vadimoniis desertis, saepe illusi ac destituti.“

Hi duo loci ad usitatam proscriptionum deplorationem pertinuisse videntur; quae includitur pars de amicis maiore etiam observantia tractandis, non necessario cum eis cohaeret.

De differentia, quae est inter ordinis senatorii et equestris conditiones.

a) Equites lege „qui tribunus militum, . . . quive quaestor, tribunus plebis . . . coierit . . . quo quis iudicio publico condemnaretur,“ non teneri.

Cluent. 150—154. „Deinde quis umquam hoc senator recusavit, ne, quo altiorem gradum dignitatis . . . esset consecutus, eo se putaret durioribus legum condicionibus uti oportere? Quam multa sunt commoda, quibus caremus, quam multa molesta . . . quae subimus (senatores)! atque haec omnia tantum honoris . . . commodo compensantur. Converte nunc ad equestrem ordinem . . . easdem vitae condiciones; non perferent. Putant enim minus multos sibi laqueos legum . . . propositos esse oportere, qui summum locum civitatis aut non potuerunt ascendere aut non petiverunt . . . (Sequitur de eadem re disputatio latior; exempli gratia afferuntur Sulla eam ipsam legem, de qua iudicium est, non tollens, C. Gracchus legem, „ne quis iudicio circumveniatur,“ ferens.) . . .

O viros fortes, equites Romanos, qui homini clarissimo ac potentissimo, M. Druso, tribuno pl., restiterunt, cum ille nihil aliud ageret . . . nisi ut ii, qui rem iudicassent, huiusce modi quaestionibus in iudicium vocarentur! . . . ordine suo . . . (se) contentos fuisse (tum dixerunt equites) et vitam illam tranquillam et quietam, remotam a procellis invidiarum et huiusce modi iudiciorum sequi maluisse . . . Iniquum esse eos, qui honorum ornamenta . . . praetermisissent . . . iudiciorum novorum periculis non carere. Senatorem hoc queri non posse . . . quod . . . permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen et gratia, toga praetexta, sella curulis, fasces, exercitus, imperia, provinciae. . . .“

b) Equites lege Iulia de repetundis non teneri:

Rab. Post. 15—17. (Afferuntur exempla equitum senatusque Pompeio, cum de eadem quaestione referret, obsistentium, Glauciae populum monentis, ut diligenter quaerat, quos ad ordines leges pertineant) . . . „Dum potestis, dum licet, providete, ne duriorem vobis condicionem statuatis ordinique vestro, quam ferre possit . . . Potentissimo et nobilissimo tribuno pl., M. Druso, novam in equestrem ordinem quaestionem ferenti: ‚Si quis ob rem iudicatam pecuniam cepisset‘, aperte equites Romani restiterunt. Quid? hoc licere volebant? Minime. . . . Ac tamen ita disputabant, eos teneri legibus iis oportere, qui suo iudicio essent illam condicionem vitae secuti. Delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, provinciae, sacerdotia, triumphi, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita. . . . ‚Nos ista numquam contempsimus (ita enim (equites) disputabant), sed hanc vitam quietam atque otiosam secuti sumus; quae quoniam honore caret, careat etiam molestia.‘“

Ex commentario quodam, quo leges non ad omnes ordines pertinentes enumerabantur (cf. Cluent. 151. „Atque ut omittam leges alias omnes, quibus nos tenemur, ceteri autem sunt ordines liberati“) exemplis argumentationibusque copiose instructae, Ciceronem hausisse apparet. Qui utrum ipse in manibus fuerit Cluentianam scribentis oratoris, an exemplum eius in suos

libellos Tullius receptum habuerit, discerni non potest; cf. pg. 59. Rabirianam componens Cluentianae commentarios adiisse videtur; Pompei exemplum tritae materiae Ciceronem addidisse probabile est cf. Verr. II. 3. § 98.

De epistulis.

Cum epistulae argumentorum loco saepissime apud iudices adhibitae sint (cf. Rohde pg. 47/8), certa praecepta de eis tractandis a rhetoribus tradita esse nemo negabit. Quae qualia fuerint, ex or. Phil. II. 7—8. cognoscere licet, ubi cum in ipsis argumentis tum in ordine eorum adeo doctrinam orator sequitur, ut tota pars paucis verbis mutatis in quolibet commentario rhetorico esse potuerit:

„At etiam litteras, quas me sibi misisse diceret, recitavit homo et humanitatis expers et vitae communis ignarus. Quis enim umquam, qui paulum modo bonorum consuetudinem nosset, litteras ad se ab amico missas offensione aliqua interposita in medium protulit palamque recitavit? ... Sed quid opponas tandem, si negem me umquam ad te istas litteras misisse; quo me teste convincas? An chirographo ... At ego non nego. ... Quod ... verbum in istis litteris est non plenum humanitatis, officii, benivolentiae ?"

cf. dom. 22. „Quas aut numquam tibi ille litteras misit aut, si misit, in contione recitari noluit ..."

Flacc. 78. „Num etiam fratris mei litteras plenissimas humanitatis ... reprehensurus es?"

Simili ratione orationes et nuntii minus commodi eiurantur vel addubitantur: Cluent. 138. „Recitavit ex oratione nescio qua ..., quam meam esse dicebat." — 143. „Nam hoc persaepe dixisti tibi sic renuntiari, me habere in animo causam hanc praesidio legis defendere. Itane est? ab amicis imprudentes videlicet prodimur ... Quisnam hoc tibi renuntiavit ? ... cui ego autem narravi ? Nemo, ut opinor, in culpa est; et nimirum tibi istud lex ipsa renuntiavit."

De officiis iudicum.

1) Iudices admonentur, **ne potestatis magis quam fidei aequitatisque memores sint:**

Cluent. 159. „Est enim sapientis iudicis cogitare tantum sibi a populo R. esse permissum, quantum commissum sit et creditum, et non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse; posse, quem oderit, absolvere, quem non oderit, condemnare ...; animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quae res in quaestione versetur. ... tum vero illud est ... sapientis, cum illam ... tabellam sumpserit, non se reputare solum esse ... sed habere in consilio legem, religionem, aequitatem, fidem ... maximique aestimare conscientiam mentis suae. ..."

Rabir. Post. 11/12 „Hic iam, iudices, vestri consilii res est, vestrae sapientiae; quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis ... tabella est, quae dat potestatem; occultat eadem libidinem, cuius conscientiam nihil est, quod quisquam timeat, si non pertimescat suam. Ubi est igitur sapientia iudicis? In hoc, ut non solum, quid possit, sed etiam, quid debeat, ponderet nec, quantum sibi permissum, meminerit solum sed etiam, quatenus commissum sit. Datur tibi tabella iudici. Qua lege? ... Quo de reo?"

Loci uni fonti eique scripto debentur. Quos, quamquam tritam sine dubio atque etiam a ceteris oratoribus usurpatam obtestationis formam praebent, suis commentariis Cicero debet. Non casu enim factum est, ut in orationibus pro Cluentio et pro Rabirio habitis potissimum inveniantur, quibus etiam aliam argumentationem non minus latam communem esse supra vidimus.[35]) Tullius igitur Rabirianam componens Cluentianae commentarios adiit, ex qua ut necessarium locum, qui est de equitum condicionibus, ita minus necessarium de iudicibus sumpsit? (neque in capita diligenter divisam, qua usurus erat, argumentorum copiam habebat, sed temere ex orationibus antea habitis eas evolvebat, quibus aliquid simile se tractavisse meminerat?) An iudicum obtestatio cum interpretatione illa legum necessario cohaeret? cf. Cael. 21/2.

2) **Admonentur, ne testibus libentius credant:**

α) ne obliviscantur, quae sit differentia inter testes et argumenta: Rohde pg. 151/2.

[35]) pg. 57.

b) memoria teneant sapientiam iudicum in secernendis testibus positam esse: cf. Rohde pg. 41. addo Font. 22 seq. ubi orator primum exponit aliter patronum, aliter iudices testibus uti debere: „Mihi enim semper una quaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogandus est, saepe etiam non interrogandus . . .; vos et saepius eandem rem animis agitare et diutius uno de teste cogitare potestis . . .“ deinde, diligenter examinanda esse, quae testes dicant: „Quid est igitur, ubi elucere possit prudentia . . .? Nimirum illud, in quo ea, quae dicuntur a testibus, coniecturae et cogitationi traduntur, quanta auctoritate . . . dicantur.“ — tum exemplis Caepionum Metellorumque, Scauri, Crassi frustra pro testimonio dicentium allatis veterisque severitatis amissione deplorata („Fuit, fuit illis iudicibus divinum . . . consilium . . .“) ita concludit: „si (iudex), ut quidque ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur . . . nihil erit, quam ob rem ille nescio quis sapiens homo . . . ad res iudicandas requiratur.“ Exempla, quae afferuntur, sine dubio trita sunt; bene enim Rohde (pg. 79) laudat part or. 49; sed etiam disputationis maior pars communis esse videtur.

3) **Admonentur, ne accusatoribus nimiam potestatem concedant:**

a) ne potentiae eorum obsequantur: Mur. 59 „Nolo accusator in iudicium potentiam adferat, non vim maiorem aliquam . . . Valeant haec omnia ad salutem innocentium . . .; in periculo . . . repudientur.“ Adduntur exempla Cottae Africano, Galbae Catoni ereptorum. — *b*) ne accusatoribus pro testibus utantur: Rosc. Am. 102/3. („Africanus . . . si sua res ageretur, testimonium non diceret.“) Flacc. 21/22.

Iudicum officiis addi possunt **accusatorum**: Verr. II. 3. § 2–5; ubi docentur, quae aliis crimini dent, ea ipsi vitare debere; Rosc. Am. 55—57. 90; ubi clamantes cum anseribus [36]), mordentes cum canibus conferuntur. (Similes comparationes invenies in „contentionibus.“)

Ceterum cum magistratuum, populi etc., tum personarum, quae in iudiciis versantur, provincias in scholis circumscribi solitas esse discimus ex auct. ad Her. IV. 47.

[36]) Exemplum ad Capitolium spectat anserum virtute servatum.

Sententiae.

Sententiam vocat auctor ad Her. orationem sumptam de vita, quae aut quid sit aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendat. (IV. 24.) Exemplis allatis, quae ex philosophia pleraque prompta sunt, ita pergit: „Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores videamur esse. Cum ita interponentur, multum adferent ornamenti.“ Agit igitur auctor de locis sapientium placita breviter atque ornate comprehendentibus, quales Ciceronem in perorationibus usurpare solere supra indicavi. Hic eosdem accuratius exponam addamque eos, quos in argumentationibus idem confecit. Proficiscar autem a sententiis, quae sunt

de virtute.

ad Her. IV. 24. „Omnes bene vivendi rationes in virtute sunt conlocandae, propterea quod sola virtus in sua potestate est, omnia praeterea subiecta sunt sub fortunae dominationem.“ = dom 146. „Non me bonorum direptio, non tectorum excisio . . . permovet; caduca semper et mobilia haec esse duxi, non virtutis atque ingenii, sed fortunae et temporum munera, quorum ego non tam facultatem umquam et copiam expetendam putavi quam et in utendo rationem et in carendo patientiam . . .“ — Sest. 60. „. . . ignari, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret, quae in tempestate saeva quieta est et lucet in tenebris et pulsa loco manet tamen atque haeret in patria splendetque per sese semper neque alienis umquam sordibus obsolescit . . .“ — Deiot. 37. „Quid de virtute eius dicam, de magnitudine animi, de gravitate . .? quae omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum contentam esse virtutem.“ — Phil. V. 35 „qua (laude gloriae) etiamsi careat, tamen sit se ipsa contenta . . .“ cf. Pis. 95; Phil. IV. 13; XIII. 5.

Non ignoro ex purioribus fontibus Tullium Stoicorum placita hausisse, quam sunt rhetorica ad Her. vel omnino eius generis doctorum libelli scholaeque. Sed hic satis habeo indicare, et generalem usum orationum sententiis ornandarum in

scholis esse natum et id ipsum, quod Cicero de virtute praedicet, a rhetoribus similiter esse dictum. Itaque omitto quaerere, ubi in ceteris operibus similia ille scripserit. Quod ut faciam eo magis mihi concedi arbitror, quo minus consensus locorum is est, qui certum fontem arguat. Id aliter se habet in sententiis, quae sunt

de religione.

harusp. resp. 18—19. „neque is sum, qui . . . his delecter aut utar omnino litteris, quae nostros animos deterrent atque avocant a religione. Ego vero primum habeo auctores ac magistros . . . maiores nostros. (sequitur sollemnium a veteribus Romanis institutorum enumeratio) . . . Etenim quis est tam vaecors, qui aut, cum suspexit in caelum, deos esse non sentiat et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitudinem persequi possit, casu fieri putet, aut . . . non intellegat, (deorum) numine hoc tantum imperium esse natum et auctum et retentum."

Mil. 83—84. „Nec vero quisquam aliter arbitrari potest nisi qui nullam vim esse ducit numenve divinum, quem neque imperii nostri magnitudo neque sol ille nec caeli signorumque motus nec vicissitudines rerum atque ordines movent neque id, quod maximum est, maiorum nostrorum sapientia, qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia . . . prodiderunt." (Pergit C. defendere religionem, esse numen divinum ex humanae animae similitudine concludens.)

Hos locos certo fonti deberi — commentario scilicet sacrorum Romanorum enumerationem continenti cum argumentatione de vi religionis coniunctam, — quamquam ipsorum consensus minor est, ex ratione locorum eius generis componendorum alias usurpata concludere oportet. Ipsam materiam quatenus Ciceroni, quatenus scholae ascribam, incertus sum. In librorum, qui sunt de natura deorum, secundo eandem rem tractans Stoicos philosophos plane secutus est.[37]) Maior consensus est in sententiis quae pertinent

[37]) cf. de nat. deor. III. 5. et (Platonis) Axiochi pg. 370. B.C. *"οὐ γὰρ δὴ ἀνητή γε φύσις οὖσα τοσόνδ' ἂν ἤρατο μεγαθουργίας, ὥστε... καταστήσασθαι... πολιτείας, ἀναβλέψαι δὲ εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἰδεῖν περιφορὰς ἄστρων καὶ δρόμους ἡλίου... εἰ μή τι θεῖον ὄντως ἐνῆν πνεῦμα τῇ ψυχῇ..."*

ad gloriam,

cum origo earum in propria Ciceronis eruditione magis quam in scholae posita sit.

1) Orator docet **vitam fragilem brevemque, gloriam aeternam esse:**

Arch. 28—30. „qua (gloria) quidem detracta . . . quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret neque tot curis vigiliisque angeretur nec totiens de ipsa vita dimicaret." — cf. 26.

Rab. perd. 29/30. (cf. Halm ad Arch.) „Itane vero? tantis in laboribus C. Marius periculisque vixisset, si nihil longius, quam vitae termini postulabant, spe atque animo de se et gloria sua cogitasset? . . . optimi et sapientissimi cuiusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur . . . exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit, immensum gloriae."

Sest. 143. „praesentis fructus neglegamus, posteritatis gloriae serviamus . . . cogitemus denique corpus virorum fortium . . . esse mortale, animi vero motus et virtutis gloriam sempiternam."

Marcell. 27/8. „Quamquam iste tuus (Caesaris) animus numquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semper immortalitatis amore flagravit. Nec vero haec tua vita ducenda est, quae corpore et spiritu continetur; illa, inquam, illa vita est tua, quae vigebit memoria saeculorum omnium . . . Huic tu inservias . . . oportet etc."

Phil. XIV. 32. „Brevis a natura vita nobis data est, at memoria bene redditae vitae sempiterna. Quae si non esset longior quam haec vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? . . ." cf. Phil. IX. 10. Sest. 47 et (de fragilitate rerum humanarum) leg. Manil. 59, Phil. XI. 39.

Quae de gloriae aeternitate Cicero attulit, non ipse excogitavit; tota antiquitas haec taliaque dixit scripsitque. Tamen nec praecepta rhetorica, ea quidem, quae tenemus, respexit — auctor ad Her. (III. 3 seq.) et Cicero inv. (II. 159 seq), ubi divisionem virtutum tractant, nullum certum eius argumentationis, de qua dico, vestigium praebent — neque omnino alios serviliter secutus est; suam mentem expressit, quippe qui inde a consulatu suo potissimum Catilinariaque coniuratione detecta (Cat. III. 26 seq.; IV. 20 seq.) sibi ipsi aeternitatem nominis sperans tales cogitationes foverit. Tamen hunc quoque locum semel tantum vere invenit; postea ex libello suo sumptum paulum variare satis habuit. — cf. Tuscul. I. 32. „Quid in hac re publica tot tantosque viros ob rem publicam interfectos cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum quibus vita terminaretur?“ — 33 „quo quidem dempto quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret?“

2) Exponit, **quae sit vera gloria:**

Sest. 139. „Qui autem bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominari potest, expetunt, aliis otium quaerere debent et voluptates, non sibi . . .“ cf. 137/8. — Marcell. 25/6. „. . . siquidem gloria est inlustris ac pervagata magnorum vel in suos cives vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. . . “ — Phil. I. 29. „. . . Est autem gloria laus recte factorum magnorumque in rempublicam meritorum, quae cum optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. . . .“ 33. „Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est; metui vero et in odio esse invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum.“ cf. Pis. 57 seq. — Phil. II. 112. V. 48–50.

Hi loci et consensum minus perspicuum praebent, quam ei, quos paulo ante attuli, et minus ad ipsius Ciceronis cogitationes, quam ad philosophorum subtiliores definitiones pertinent.

Si, quod Fridericus Muenzer me monet, ea, quae duobus his capitibus de gloria composuisse Ciceronem demonstravi, idem in libros suos, qui inscripti erant „de gloria“, recepit, ex hoc exemplo discimus, eum operum conscribendorum materiam, multo antequam ea in publicum ederet, et collegisse et exornavisse;

libri de gloria enim anno 44 demum venire coepti sunt. Ac re vera celeritas, qua Cicero libros ad artem rhetoricam et ad philosophiam pertinentes confecit, explicari non potest, nisi congesta semper et bene praeparata materia eum usum esse arbitramur. — Aliam philosophiam[38]) quam loci, qui sunt de gloria, ei sapiunt, qui spectant ad

veram vim Furiarum.

Rosc. Am. 66/7. „Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse . . . ut eos agitent Furiae. . . . Nolite enim putare, quem ad modum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie sceleratequе commiserunt, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat; suum quemque scelus agitat amentiaque afficit; suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent; haec sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae. . .“

Pis. 46/7. „Mihi enim numquam venerat in mentem furorem et insaniam optare vobis (Pisoni et Gabinio), in quam incidistis. . . . Me tamen fugerat deorum immortalium has esse in impios et consceleratos poenas certissimas. Nolite enim ita putare, patres conscripti, ut in scaena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri furialibus taedis ardentibus; sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat; hae sunt impiorum Furiae, hae flammae, hae faces. Ego te . . . non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem . . .?[39])

Loci ex uno scripto fluxerunt. — Liberius eadem res tractatur: har. resp. 39. (agitur de Clodio): „a dis quidem immortalibus quae potest homini maior esse poena furore atque dementia? nisi forte, in tragoediis quos vulnere ac dolore corporis cruciari et consumi vides, graviores deorum immortalium iras subire quam illos, qui furentes inducuntur, putas? Non sunt illi eiulatus et gemitus Philoctetae tam miseri . . . quam

[38]) Lucret. III. 1009 seq. — cf. quae F. Marx dicit de auctoris ad Her. studiis Epicureis Prol. pg. 83/4.

[39]) Consensum inter Rosc. 67 et Pis. 46/7 vidit Halm ad Rosc. Am.

illa exsultatio Athamantis et quam senium matricidarum." — cf. in Clod. et Cur. 7. „Perturbatio istum mentis et quaedam scelerum offusa caligo et ardentes Furiarum faces excitarunt." Verr. II. 1. § 6.; 5. § 139.; Phil. II. 68; Cluent. 171. „Nam nunc quidem quid tandem illi (Oppianico) mali mors attulit? nisi forte ineptis fabulis ducimur, ut existimemus illum ad inferos impiorum supplicia perferre" (= Lucret. l. l.)

Quae de Furiis Cicero scribit, ea scholae exercitationibus debet; ubi cum aliae res ex fabulis petitae tum causa Orestis saepissime tractata est: ad Her. I. 17. 26. Rohde pg. 81/2. Quint. inst. III. 11, 4 seq. VII. 4. 8.[40])

Epicuri vestigia etiam Rosc. com. 46 deprehenduntur, ubi nullam discrepantiam esse inter **periurum** et **mendacem** hoc modo orator concludit: „Quis enim deprecatione deorum, non conscientiae fide commovetur?" — (locus ex iurisiurandi tractationibus promptus est; Volkmann 144/5) — et Cluent. 194 „quibus (sceleratis precibus et nefariis votis) illa etiam deos immortales de suo scelere testatur neque intellegit pietate et religione . . deorum mentes, non contaminata superstitione . . . posse placari."

Postremo loco afferam, quas

de libertate populi Romani

sententias in orationibus Cicero praebet. Quae, cum non plane ad philosophiam spectent, ceterum locis tractatis simillimae sunt. Pertinent sine dubio ad communem oratorum Romanorum supellectilem, quamquam occasione rarius data rarius inveniuntur. Ita praeter Pis. 15. „huic enim populo ita fuerat ante vos consules libertas insita, ut ei mori potius quam servire praestaret." — in Philippicis tantum, ibi autem frequentissime, Tullius libertatem laudibus tollit: Phil. III. 29; 35/6. „Quodsi iam . . . fatum extremum reipublicae venit, quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, principes orbis

[40]) Vergil. Aen. IV. 465 seq. „Agit ipse furentem — in somnis ferus Aeneas . . . (veluti) Agamemnonius scenis agitatus Orestes . . . cum fugit ultricesque sedent in limine Dirae." Ne poeta quidem non a trita magis comparandi ratione quam a suis oculis pendet.

terrarum . . . ut cum dignitate potius cadamus quam cum ignominia serviamus. Nihil est detestabilius dedecore, nihil foedius servitute. Ad decus et ad libertatem nati sumus; aut haec teneamus, aut cum dignitate moriamur." — VI. 19. „Populum R. servire fas non est, quem di immortales omnibus gentibus imperare voluerunt . . . Aut vincatis oportet . . . aut quidvis potius quam serviatis. . . ." cf. Phil. II. 113; (IV. 13;) VIII. 12, 29; X. 19; XII. 15; XIII. (6/7), 49. cf. ad Her. III. 9. „Qui tutae rei praeponet rationem honestam, his locis utetur: Virtutem nullo tempore relinquendam; vel dolorem . . . vel mortem . . . dedecore et infamia leviorem esse; considerare, quae sit turpitudo consecutura; at non immortalitatem neque aeternam incolumitatem consequi . . ."

De conformatione.

Conformationis exempla ab aliis congesta novis additis iterum conferre e re esse arbitror: vix enim aliunde, quam eleganter etiam tritam ornandi rationem variare et renovare Cicero sciverit, melius cognoscitur.

ad Her. IV. 66. „Conformatio est, cum aliqua, quae non adest, persona confingitur quasi adsit, aut cum res muta aut informis fit eloquens et forma ei . . . attribuitur . . ." (cf. Kayser pg. 310.; ubi ceteros locos ex scriptis rhetoricis collectos invenies.)

1) **Res mutae loquentes** (agentes) **inducuntur:**

ad Her. l. l. „Quodsi nunc haec urbs invictissima vocem mittat, non hoc pacto loquatur: ‚Ego illa plurimis tropaeis ornata . . . o cives, vexor; quam dolis malitiosa Carthago, viribus probata Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patimini nunc ab homunculis deterrumis proteri atque conculcari ?' "[41])

[41]) cf. Horat. epod. XVI. 1-10. „Quam neque finitimi valuerunt vertere Marsi — minacis aut Etrusca Porsenae manus — aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer — novisque rebus infidelis Allobrox — nec fera caerulea domuit Germania pube — parentibusque abominatus Hannibal." — Artioris conexus, qui est inter scholam rhetorum et poetas, indicandi occasio et iam fuit et amplius erit.

Catil. I. 17/8. (= Kayser pg. 310;) „Nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit . . . Quae tecum. Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur: ‚Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te . . . Quam ob rem discede atque hunc mihi timorem eripe . . .'“

Ciceronem Platonis Critonem pg. 50-52 aut memoria tenuisse aut ante oculos habuisse iamdudum observatum est; cf. praecipue Catil. 17 „Si te parentes timerent . . . neque eos ulla ratione placare posses . . . ab eorum oculis aliquo concederes Nunc te patria, quae communis est etc.“ = Plat. 51. A/B. „*ὥστε λέληθέν σε, ὅτι . . . τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερόν ἐστιν ἡ πατρὶς . . . καὶ μᾶλλον ὑπείκειν (δεῖ) καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν ἢ πατέρα . . .*“ — Nihilominus expolitionem loci tantum Graeco debet; ipsum usum patriae loquentis inducendae iampridem apud Romanos exstitisse auctor ad Her. docet. Suam igitur eruditionem cum scholae praeceptis eleganter Cicero coniunxit. cf. 27 seq. „si mecum patria . . . si cuncta Italia, si omnis res publica loquatur.“ — Catil. IV. 18. „vobis supplex manus tendit patria communis . . .“ — Caecil. 19/20 „Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: . . .“ — Rosc. com. 48. „Ipsa mihi veritas manum inicit . . .“ Planc. 96. „Cum ipsa paene insula mihi se obviam ferre vellet.“

2) **Personae confinguntur quasi adsint:**

ad. Her l. l. „Quodsi nunc Lucius ille Brutus reviviscat et hic ante pedes vestros adsit, non hac utatur oratione: ‚Ego reges eieci, vos tyrannos introducitis. . . .'“

Bruto reviviscenti Marium potissimum adiungo, ut rationem, quam in civitate danda Pompeius secutus esset, suis exemplis probaret, a Cicerone ex inferis elicitum: (= Rohde pg. 43; in „testimoniis.“): Balb. 47. „Existat ergo ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quoniam oculis non potestis; dicat se non imperitum foederis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuisse . . . a se ex coniunctissima atque amicissima civitate fortissimum quemque esse delectum.“ — Similiter mortui, ut reo auxilium ferant, advocantur: Verr. II. 3. § 212. „C. Marcelle, te appello.“ — Font. 36. „excitandus . . . Marius, . . . Domitius . . . Maximus.“ — Scaur,

48. „Qui (L. Metellus) utinam posset parumper existere!“ — dom. 113.[42])

Cum ex maioribus viri clari magnaque auctoritate praediti tum ex nuper mortuis homines, quorum conditio cum causa artius cohaeret, valde audientium animos movent. Ita Malleolus a Verre supplicio affectus suae necis testis producitur; Verr. II. 1. § 94. (= Rohde pg. 137; in conclusionibus): „Quid exspectas? an dum ab inferis ipse Malleolus exsistat atque abs te officia tutelae, societatis familiaritatisque flagitet? Ipsum putato adesse!“ — cf. II. 5. § 113. „non falso ille (Furius) de vobis iam in morte ipsa praedicavit: non posse Verrem testis interficiendo ius extinguere; graviorem apud sapientis iudices se fore ab inferis testem, quam si vivus in iudicium produceretur. . . .“

Elegantior etiam et gravior est evocatio Clodi: Mil. 79. „Fingite animis (liberae sunt enim nostrae cogitationes . . .) fingite igitur cogitatione imaginem huius condicionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit . . . si ipse Cn. Pompeius . . . potuisset aut quaestionem de morte P. Clodi ferre aut ipsum ab inferis excitare. utrum putatis potius facturum fuisse?“ cf. 91. — Apud Romanos quam arta fuerint vincula familiae gentisque in adhortationibus apparet; ubi, qui adhortandi sunt, moneri solent, ne patris maiorumque obliviscantur. (Mur. 66, Sull. 32. harusp. resp. 26, Phil. I. 34 etc.) Similiter agitur in vituperationibus, quae, si a proximis afferri finguntur, acerbiores sunt: Verr. 5. § 136—138. (cf. Rohde pg. 133. in „enumerationibus“): „Hic tu etiam dicere audebis: ‚Est in iudicibus ille familiaris meus, est paternus amicus ille!' . . . Ipse pater si iudicaret, per deos immortalis! quid facere posset? Cum tibi haec diceret: ‚Tu in provincia populi R. praetor . . . (sequitur lata reprehensio.)'“ — cf. Cael. 33. seq. (Kayser pg. 310; Volkmann pg. 417); ubi lepidissima inventione usus Cicero et Appium Claudium Caecum et Clodium fratrem cum Clodia disputantes facit: cf. „contentiones“.

---

[42]) Cic. Brut 322 „nemo (erat), qui memoriam rerum Romanarum teneret ex qua . . . ab inferis locupletissimos testes excitaret.“ Usum hominum antiquorum excitandorum apud Ciceronem latiorem fuisse quam apud ceteros facile credimus, sed neminem praeter eum ex memoria rerum Romanarum hausisse exemplum auctoris ad H. obstat quominus arbitremur.

Conformationibus adnumerari possunt ei loci, ubi res mutae quamquam non loquentes inducuntur, attamen veluti viventes tractantur: Verr. II. 5. § 171. (deploratur Gavius poena crucis affectus): ... „non ad homines, verum ad bestias, aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa et ad scopulos haec conqueri ac deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta et tam indigna rerum atrocitate commoverentur.“ — Verr. II. 3. § 47: „ut ager ipse cultorem desiderare ac lugere dominum videretur.“ — Cluent. 15. „nonne timuisse (Sassiam genero nubentem), si minus vim deorum hominumque famam, at illam ipsam noctem facesque illas nuptiales, non limen cubiculi, non cubile filiae, non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum?“ — Cael. 60. „Nonne (Clodia) ipsam domum (ubi Metellum interfecerat) metuet, ne quam vocem eiciat, non parietes conscios, non noctem illam funestam ac luctuosam perhorrescet?“ — Marcell. 10. „Parietes ... huius curiae tibi gratias agere gestiunt.“ — Phil. II. 68 seq. ... „Me quidem miseret parietum ipsorum atque tectorum (domus Pompei ab Antonio direptae.) Quid enim umquam domus illa viderat nisi pudicum ...?“

Adde Mil. 85. „Vos enim iam, Albani tumuli atque luci... imploro atque testor, vosque, Albanorum obrutae arae ...“ cf. Balb. 13. et ad Her. IV. 22. „Perfidiosae Fregellae, quam facile scelere vestro contabuistis ...“ — Accedit magna copia rerum pro personis usurpatarum, quarum usus a communi consuetudine minus abhorret, ut leg. Man. 67 „Ora maritima ... Pompeium ... requisivit.“ Talia indicare omitto.

De locis, qui, cum Ciceronis proprii sint, saepius afferuntur.

Consentaneum est, qui in causis diversis locos aut a se aut ab aliis inventos repetit, eum in orationibus ad eandem rem aut totis aut partim pertinentibus eandem argumentationem non repudiare. Non miramur igitur in orationibus Catilinariis, Philippicis eisque, quae de lege agraria et de reditu habitae sunt, multa saepius afferri, quae ad compositionem, ad descriptionem hominum, ad rationem argumentandi pertinent. Similiter in orationibus pro domo (68 seq.), pro Plancio (86—90), pro Sestio (15 seq.), in

Vat. 7—9, in Pisonem eisdem fere semper coloribus rationem exilii reditusque, studia amicorum et inimicorum, miserias uxoris, liberorum, suas, singularitatem et aliorum in se meritorum et sui animi grati depingens auditorum lectorumque animos fatigat. (ut unum locum ex multis indicem, cf. quae de sua quasi devotione et de spe redeundi dicit: red. I. 33—35; red. II. 13—15; dom. 63—64 et 96—97; Planc. 90; Sest. 42 seq.) Consensus locorum plerumque is est, ut Cicero potius memoriam consuluisse quam scriptum adiisse videatur; quod eo minus eum facere necesse fuit, quo minore temporis spatio orationes illae similes comprehenduntur. Quamquam certiorem similitudinem et verborum consensum saepius invenies, ita in orat. de red. I. et II., et Phil. III. et IV, quarum altera semper alterius imago est. Ceterum accuratius rem tractare operosius quam utilius est. Exemplo sint descriptiones Pisonis et Gabinii in „vituperationibus“ et laudatio Pompei in „laudationibus“.

Militum apud Forum Gallicum occisorum laudatio.

Finis argumentationum ornetur loco ex Graeco auctore sumpto: In Phil. XIV. Cicero, postquam, ne ante bellum vere confectum ad togas redirent, patres adhortatus est, Antoniis vituperatis, Caesare, Hirtio, Pansa laudatis honoratisque milites occisos sepultura publica et monumento a senatu populoque exstructo donandos esse censet. Qua in re ad Atheniensium illustrissimum exemplum respicit; nam Romanis militibus numquam talia tributa esse ipse testatur § 33. („Multi saepe exercitus Punicis ... bellis ... magni fuerunt, nec tamen ullis tale genus honoris tributum est.“) Ut igitur totus eo tempore in Graecorum consuetudinibus versatur („Philippicas“ scribens alterum Demosthenem agit; „Atheniensium vetus exemplum renovat“ *ἀμνηστίαν* instituens: Phil. I. 1.), sic publicam sepulturam Romam transferre studet. Quem, si Graecos re aemulatur, eosdem in verbis auctores habere et ex „*λόγων ἐπιταφίων*“ illorum materia haurire probabile est. Ac re vera Iosephus Mesk (Wiener Studien, XXVI. pg. 228—234) nonnulla, quae in Ciceronis laudatione inveniuntur, ex orationibus funebribus Isocratis, Platonis, Lysiae, Hyperidis prompta esse posse statuit. Locis ab eo

collectis unum addo, ubi Lysiam quamquam liberrime Cicero secutus esse videtur.

Phil. XIV. 34.

„. . . consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio, parentibus, quod tanta reipublicae praesidia genuerunt, liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis, coniugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare quam lugere praestabit, fratribus, quod in se ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident . . .“

Lys. II.

75. . . . „*Μόνην δ'ἄν μοι δοκοῦμεν ταύτην τοῖς ἐνθάδε κειμένοις ἀποδοῦναι χάριν, εἰ τοὺς μὲν τοκέας αὐτῶν ὁμοίως ὥσπερ ἐκεῖνοι περὶ πολλοῦ ποιοίμεθα, τοὺς δὲ παῖδας οὕτως ἀσπαζοίμεθα ὥσπερ αὐτοὶ πατέρες ὄντες, ταῖς δὲ γυναιξὶν εἰ τοιούτους βοηθοὺς ἡμᾶς αὐτοὺς παρέχοιμεν, οἷοίπερ ἐκεῖνοι ζῶντες ἦσαν* . . . 71. *Ἐρήμους δ'ἀδελφοὺς . . . κατέστησαν . . .*“

Praeterea Cicero directe Graecos sequitur in orat. Cat. I. (cf. pg. 68) et Scaur. 4. — „apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam ferunt se ex altissimo praecipitasse muro, non quo acerbitatis accepisset aliquid, sed, ut video scriptum apud Graecos, cum . . . Platonis . . . librum de morte legisset.“ . . . Callim. ep. 23. (Wil.) . . . „*Κλεόμβροτος Ὠμβρακιώτης ἧλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀίδην — ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.*“

B. De universa ratione argumentandi.

Quae de argumentandi fontibus atque ratione ad singulos locos adnotavi, hic breviter complexurus, primum de eis fontibus dicam, ex quibus directe Cicero hausit; deinde remotiorem argumentorum originem explanabo; tum disseram de universo usu generaliter disputandi.

1) Proximi fontes sunt duo: memoria et scriptum. Memoriae vim in scholis rhetoricis cultam et ad singularem perfectionem promotam esse multi testes sunt (ad Her. III. 28 seq.; Cic. de or. I. 18 = Kayser 278/9; Senec. cont. I. 2. Cic. Brut. 301. de Hortensio). Qua Tullium in eis locis contentum fuisse probabile est, qui certiore consensu carent; quod

maxime fit in eis causis, quarum, quia saepius dicebantur, et forma et materia tritae ac cuilibet notae erant (ut causarum capitalium). A scripto pendere Ciceronem ibi certum est, ubi verbo tenus paene loci consentiunt (quales nonnullos attuli in sententiis), ibi verisimile, ubi aut nominum copia maior, ordo subtilior sunt, quam qui memoria teneri possint, aut argumentationis rationem ac dispositionem tritam esse sive ex praeceptis, quae tenemus, sive ex ceterorum locorum communium ratione apparet (cf. locum de proscriptione bonorum, de periuriis, etc.). Saepissime tamen, quatenus memoriam, quatenus scriptum orator secutus sit, discerni nequit (ut in causis repetundarum, ambitus, etc.). Quod hic non urgeo; scriptum quaero quale fuerit. Eius autem multiplex ratio aut fuit aut esse potuit. In prioribus enim orationibus inque recentiorum eis partibus, quae nimis scholam olent (cf. locum de Furiis), directe Ciceronem ex rhetoris nescio cuius libello hausisse, quales aut in publicum prodiisse aut in scholis adulescentulis dictati esse putandi sunt, quin credamus, nihil est, quod obstet. Contra eos locos, quos subtiliorem eruditionem sapientes sententiarum nomine plerosque indicavi quibusque etiam in ceteris operibus suis usus est, commentariis, ni fallor, debet philosophiae commode tractandae gratia a se ipso compositis. — Nonnumquam vero suam experientiam cum vetere doctrina eum coniungentem videmus; quae coniunctio saepe tam arta est, ut, quae a ceteris accepit quaeque ipse addidit, ea iampridem in unum contracta habuisse videatur; tum eum commentarios inspexisse et scholae et suis exemplis argumentationibusque instructos probabile est (cf. pg. 55). In universum putare placet, qua usurus erat materia, eam in capita diligenter digestam certisque inscriptionibus ornatam loculis bibliothecae suae commode inclusam habuisse Ciceronem; ei addidisse, quidquid novi ex usu forensi, ex ceterorum doctrina atque arte, ex sua lectione didicisset: ita causam suscipienti magnam semper partem orationis, antequam a cliente doctus esset, factam vel certe adumbratam fuisse. Quam imaginem paulum turbant observationes, quae fiunt in or. pro Cluentio et pro Rab. Post. In Rabiriana enim ipsam Cluentianam vel potius commentarium eius, non libellum illum, qui

leges extraordinarias continebat, Ciceronem evolvisse eo verisimile est, quod praeter locum, qui est de equitibus, iudicum obsecrationem repetivit ut aptam Rabirium defendenti, ita non necessariam. Idem etiam alias fecisse potest. — Commentarium orationis Cluentianae,[43]) non eam orationem, quam nos tenemus. Tullium adiisse dixi, quia et in hoc exemplo et alias semper is est consensus argumentorum, ut eorum sive uter sive quis prius, primo, factus sit, discerni nequeat: eiusdem patris veluti filii sunt atque adeo in omnibus novi aliquid affertur, ut quasi ex pleno haurientis orator speciem praebeat. Quamquam eundem in ipso describendo multa variare vidimus pg. 72.[44]) — Ceterum permulta sine dubio Cicero et ex annalibus et ex aliis monumentis scriptis directe sumpsit, praecipue in eis orationibus, quae tractationem historiae postulabant (ut Verrinae, Rabiri perd.). Praeterea orationes ante oculos habuit Lysianam II. pg. 72 et Crassi Curianam pg. 53.

2) Argumentationis Ciceronianae altiora quasi fundamenta investigantibus magno usui est Franciscus Rohde: qui eam cum praeceptis eis, quae tenemus, confert (cum praeceptis, quae tenemus, dico: Ciceroniana enim explicans tacite auctorem ad Herennium quoque amplectitur). Ac re vera ab illis plurimum pendere Ciceronem et ex Francisci Rohde disputatione et ex eis, quae ipse passim exposui, efficitur. Nec vero totus pendet; haud parvam differentiam inter orationes et praecepta accuratius quaerentes facile observant. De qua iam dicam. Pertinet autem primum ad partitionem causarum. Constitutiones scilicet illae rhetorum, coniecturalis, legitima, iuridicialis, ceterae, quamquam docte inventae, philosophum magis quam oratorem sapiunt. Quarum etsi semper sive una sive plures orationibus iudicialibus Tulli insunt — quod bene demonstrat Rohde pg. 2—8 — tamen, si ita dicere licet, fundamenta earum non sunt. Aliis enim formis eisque non in schola excogitatis, sed ex ipso usu natis, Ciceronem in inveniendis orationibus atque componendis uti videmus: siquidem causae repetundarum, ambitus,

[43]) cf. Plin. ep. I. 20. 8.

[44]) Orationes suas ipsius quam libenter Cicero adhibuerit, etiam liber qui Orator inscribitur docet; ubi tamen editarum orationum partes verbo tenus exscribere coactus erat.

societatis laesae, aliae suam quaeque aut compositionem aut certe materiam, usitatam tritamque, sed in rhetorum constitutionibus neglectam, habent (cf. quae de divinationum et invectionum forma infra dicam.). Ne causae capitales quidem cum coniecturalibus plane congruunt. Solae legitimae excipiuntur; earum in praeceptis et in usu Ciceroniano una forma fuit. — Cum hac discrepantia alia cohaeret, quae est inter argumenta Ciceronis rhetorumque illorum, ex quibus auctor ad. H. et Cicero hauserunt. Qui quam maxime Graecorum doctrina niti arguuntur omnia fere, quae Romanorum propria sunt, indicare omittentes. Itaque in eis tantum partibus, quae in omnes omnium nationum orationes quadrant, in principiis scilicet et perorationibus, praecepta eorum observantur (exceptis eis locis, qui ad patronum causamque ad eum delatam pertinent), ceterae partes orationum permulta praebent, quae neque in rhetoricis ad Her. neque in Ciceronis libris de inventione tanguntur, ut indices exemplorum Romanorum, argumenta in repetundis et in petitionibus magistratuum allata etc. Nam etiam in repetundis, ubi permulta, quae de testibus probandis refellendisque dicuntur, ex libris rhetoricis fluxerunt, ordo argumentationis, imagines, quaeque maxime nisi Romae nasci non potuit, comparatio, quae institui solet inter Romanos testes et alienos, ex illis hausta esse non possunt. — Genera causarum igitur, quae praecepta observari volunt, doctrinae debentur — quae Cicero sequitur, usui accommodata sunt; similiter praeceptorum materia a Graecis plurima inventa est, Ciceronis materia a Romanis.

Num igitur — quoniam in praeceptis ea nos tenere recte iudicamus, quae in scholis tractata sunt — quia in rhetoricis ad Her. et in Ciceronis libris de inventione Graeca maxime doctrina affertur, idcirco arbitremur propter Graecorum nimiam observantiam suum dicendi usum, suam artem, sua exempla in suis ipsorum scholis Romanos plane neglexisse? Multa sunt, quae obstent, adeo alienis obnoxios fuisse scholarum magistros quominus credamus. Ut enim indicare omittam in ipsis illis scriptis rhetoricis, quos supra significavi, rerum Romanarum vestigia plurima inveniri, primum omnino fieri non potuit, quin in populo iuris amantissimo causae

Romanae illustriores cum veteres tum recentes adulescentulis explicarentur et forma earum atque materia, Romana tota et a Graecorum subtilitate abhorrens, tractaretur. Deinde loci illi communes, quorum magnam copiam supra indicavi, ubinam nati — sive, si in ipso usu nati sunt — ubinam exornati sunt nisi in scholis, per quem propagati nisi per commentarios a doctoribus compositos aut dictatos?[45]) Accedit, quod Romanam illam partiendi rationem quamquam paucis Cicero indicat de or. II. 105: „ . . . de pecuniis repetundis . . . de ambitu . . . (= pg. 46). De sicariis, de veneficiis, de peculatu infitiari necesse est." — Ergo veram imaginem scholarum exercitationis perfectamque neque auctoris ad Her. neque Ciceronis praecepta repraesentant. Illius duo elementa fuerunt: doctrina Graeca et usus Romanus; illam praebent libri rhetorici, quos tenemus; hunc exhibent orationes, exhibuerunt quondam commentarii; qui rudiores, ni fallor, et subtiliore compositione carentes aetatem non tulerunt. —

Hactenus de usu et schola. Tertius fons est propria eruditio, de qua latius me non posse disputare supra exposui.

3) Cicero summi oratoris, quem fingit in libro, qui „Orator" inscribitur, eam praecipuam virtutem esse vult, ut a propriis personis et temporibus semper, si possit, controversiam avocet. (or. 45.) Idem, cum in fine oratorii curriculi longi atque illustris reputet, quos progressus fecerint et sua ars et aliorum inde a tempore, quo primo in publico dixerit, illud maxime sibi laudi tribuit, quod praeter ceteros „a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere" potuerit. (Brut. 322.) — Ex quibus locis, si veri sunt, efficitur primum Ciceronem, quae de causis generaliter tractandis praescripsisset, ipsum observavisse usumque eius cum doctrina plane congruisse; deinde eundem a vulgari ratione dicendi quam maxime abhorruisse et in usu et in doctrina (quod ad hanc attinet cf. or. 45 „Orator non ille vulgaris, sed hic excellens;" quod ad illum cf. or. 12 „fateor me

[45]) cf. **Marx**, „Zur Charakteristik der Rhet. ad Her." Mus. Rh. 46. pg. 425 in fine „dass die ausserordentliche Entwicklung der röm. Beredsamkeit rhetor. Compendien in lat. Sprache voraussetzt."

oratorem . . . non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse"). —

Dicam primum de doctrina Ciceronis: (eam intellego, quae Ciceronis propria est; libri de inventione enim doctorum indicant.) Hic sine dubio Tullius et profecit et a doctorum praeceptis se liberavit. Nam quamquam et scholae omnino esse non poterant nisi in quibus de fictis causis certisque generibus accomodatis disputaretur et rhetorica ad Her. non minus quam inventio Ciceroniana permulta praebent, quae generalem rerum tractationem indicant, tamen in libris de oratore demum (III. 109 seq.) genera duo, quae sunt dicendi, infinitum et definitum accuratius discernuntur illiusque virtutes laudantur. (120!) cf. or. 125/6; top. 79 seq.; part. or. 61 seq. Haec causarum dilatandarum subtiliora praecepta ex Academia sine dubio fluxerunt (de or. III. 109/10). Utrum Philoni Larisaeo an Antiocho Asculano debeantur, hic non refert.[46]) Sunt sine dubio cum recentiora tum a vulgari usu remotiora.

Quaeramus iam, usus generaliter argumentandi quam latus sit apud Ciceronem. Quem latissimum esse supra indicavi; siquidem omnia causarum genera usitatiora suas formas suasque tractandi rationes habere docui. Cum quibus communes disputationes necessario cohaerent, quales sunt de testium diversitate in repetundis, de necis atrocitate in causis capitalibus, de aequitate et iure in constitutionibus legitimis etc. Sed similiter in eis orationibus, quarum indicandarum occasio adhuc mihi defuit, Cicero egit. Ita in Archiana rei causam vix tangens, poetae copiosissime tractans, inde a § 12 communem artium liberalium defensionem affert, in Sestiana inde a § 96 de optimatibus universe disserit, in Caeliana cum alias tum §§ 39—42, 48 seq. propriam causam relinquens vivendi rationem liberiorem generaliter laudat; Milonianae vero §§ 7—11 communem iuris, quod pertinet ad homicidium, explicationem praebent. Sed hae latiores solum partes generales sunt: accedunt breviores loci communes paene innumerabiles; ita ut re vera saepissime,

[46]) Antiocho ea attribuit Kroll; Mus. Rh. LVIII. pg. 552 seq. „Studien über Ciceros Schrift de oratore"; qua dissertatione adductus sum, ut hoc caput conscriberem. — cf. Neue Jahrb. f. d. Klass. Altert. XI. pg. 681 seq.

immo quoad omnino fieri potuit, a propria causa ad infinitam quaestionem rem traduxerit Cicero.

Tertium illud restat, ut tractetur. Usus hic unde fluxit? An vere in Academiae spatiis natus est? Hanc quoque quaestionem iam supra mihi solvisse videor. Scilicet maior pars tractationum communium scholae usuique debetur; formae illae certorum generum certae neque Ciceronis propriae sunt neque a philosophis inventae. Nec vero non, quae in or. pro Cael. et pro Mil. communia sunt, ad scholam spectant. Ne contentionem quidem, quae in oratione pro Murena inter militiam instituitur et iurisprudentiam[47]), novi generis θέσεων exemplum esse iudicem: saepe sine dubio iurisconsulti una cum imperatoribus magistratus petebant: tum in promptu erat utriusque conditionum comparatio. Ergo rationem causarum dilatandarum non ab Academicis Cicero accepit: accepit et a doctoribus, quos in schola, et a patronis, quos in foro audivit. Quibus gratior esse debuit. Itaque nimis eum a ceteris oratoribus abhorruisse credere non possumus: eorum rationem Tulli simillimam fuisse iudicare debemus.

Nihilominus permulta, quae ad exornandum usum veterem et amplificandum pertinent, cum ex cetera eruditione sua tum ex philosophis Cicero sumpsit. Neque enim solum in Archiana et in or. pro Murena § 58 seq., in quibus doctrina eius litterarumque cognitio splendent, sed etiam alias saepissime, praecipue vero, ubi postremo loco causam dixit, in antiquis fundamentis novam quasi domum aedificavit. Pars igitur usus illius, de quo supra (pag. 77.) egi, cum doctrina congruit, quam Cicero in recentioribus scriptis rhetoricis praebet, altera pars eaque maior ac gravior et vetustior est et communior.

Vix indicare necesse est, quae hic disputavi, ea partim quidem etiam in quintam partem dissertationis quadrare, quae est de compositionis formis elegantioribus et in quartam, quae continet personarum tractationes; ad hanc iam transibo.

[47]) Quam maxime miratur Quintilianus inst. XI., 1, 69 seq.

IV.

Personarum tractationes.

Personae dupliciter tractantur: aut enim ad imaginem certam iucundamque poetarum more formantur ac vere depinguntur aut vituperationibus et laudationibus ornantur oneranturque, quae, sive vitae sive philosophorum definitionibus debentur, non tam arte carent quam coloribus.

A. Depictiones.

Depictionis duo genera praecipua sunt: notatio et effictio. Quarum haec exteriorem hominem, cultum dico, habitum, faciem breviter adumbrat, illa mores atque ingenium accuratius describit. Quamquam adeo altera cum altera cohaeret, ut nonnumquam separari nequeant.

I. De effictione.

ad. Her IV. 63: „Effictio est, cum exprimitur atque effingitur verbis corporis cuiuspiam forma, quoad satis sit ad intellegendum, hoc modo: ‚Hunc, iudices, dico, rubrum, brevem, incurvom, canum, subcrispum, caesium, cui sane magna est in mento cicatrix, si quo modo potest vobis in memoriam redire.‘“

Effictionis color non minus quam narrationis acutae partim quidem ex comoedia fluxit: ubi lepidae hominum depictiones nonnumquam exstant.

cf. Plaut. merc. 637—640.

Charinus: „At saltem hominis (lenonis) faciem exquireres.
. . . . Eutychus: Ego dicam tibi:
Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum.
Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquan-
[tulum.“

Plaut. Rud. 316—318:

„. . . Ecquem . . .
Recalvom ac silonem senem, statutum, ventriosum,
Tortis superciliis, contracta fronte, fraudulentum.“

Terent. Hec. 440:

„Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius."
cf. Plaut. Pseud. 1218—20.

Ex Ciceronianis exemplis optimum affert Kayser, pg. 308/9 = Verr. II. 2. § 108. „Videtis illum subcrispo capillo, nigrum; qui eo vultu nos intuetur, ut sibi ipse peracutus videatur esse, qui tabulas tenet, qui scribit, qui monet, qui proximus est. Is est C. Claudius!" — cf. Verr. II. 3. § 22; „Aspicite, iudices, vultum hominis (Aproni) et aspectum et ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos . . . spiritus . . . quos fuisse putetis, recordamini." — II. 5. § 128. „Aspicite, aspicite, iudices, squalorem sordesque sociorum! Sthenius hic . . . cum hoc capillo atque veste . . ." — Sull. 74. „Aspicite ipsum, contuemini os, conferte crimen cum vita . . . ." Cetera afferentur in notationibus. —

Effictionibus, quae ad perpetuum vultum atque habitum pertinent, similes sunt eorundem mutationum significationes subitarum: quales cum ceteri auditores tum adversarius patiuntur: Rosc.com 8 „illud . . . quaero: Quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria rettulisti? Erubescit, quid respondeat, nescit, quid fingat extemplo, non habet." — 43: „Circumspicit, aestuat." — Verr. II, 1, § 35: „Video, quid egerim; erigit se (Verres), sperat sibi auram posse . . . afflari . . . defensionis." cf. 5 § 73, 165. Caecin. 28; Cluent. 54 (cf. Rohde pg. 93), 89: Rab. perd. 18; Phil. II, 84: „Non dissimulat (Antonius) . . .; adparet esse commotum; sudat, pallet."

2. De notatione.

Exemplo allato, cuius partem in narrationibus (pg 25) exscripsi, haec addit auctor ad Her. IV, 65: „Huiusmodi notationes, quae describunt, quod consentaneum sit unius cuiusque naturae, vehementer habent magnam delectationem: totam enim naturam cuiuspiam ponunt ante oculos aut gloriosi, ut nos exempli causa coeperamus, aut invidi aut tumidi aut avari, ambitiosi, amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris; denique cuiusvis studium protrahi potest in medium tali notatione."[48])

[48]) Auctorem ad Her. in gloriosi imagine depingenda comoediam sequi supra vidimus. Praeterea — quod Alfredus Koerte me monet — ratio eius cum Theophrasti consentit; qui similiter hominum singularitates non philosophorum more definit, sed poetarum enarrat. Cicero, cum in narrationibus eadem via utatur, in notationibus minus subtilis est.

Ex his verbis plane discimus, quod aliunde possumus suspicari, non solum imperatorum aetate, cum ex fori solibus in declamationum umbram paene tota eloquentia recessisset (cf. controversias Senecae patris et dialogum Taciti), sed etiam in ipsis initiis doctrinae rhetoricae Romanae pro veris hominibus genera ac χαρακτῆρας communes in scholis esse tractatos (cf. imaginem hominis perversi ex auctore ad H. sumptam: pg. 116/7). Quorum rationem atque originem exponere non huius loci est; id unum est monendum certissimam eorum sedem fuisse comoediam cum Graecam novam tum Romanam. Ciceronem autem in notatione non minus quam in aliis rebus a schola pendere, etiam antequam exemplis probetur, verisimile est. Quamquam rhetores puras notationes, oratores propriorum hominum descriptiones cum generum depictionibus coniunctas afferre apparet. Tullius igitur in hisce descriptionibus communiores imagines sequitur, in descriptionibus scilicet

hominis luxuriosi (Chrysogoni): Rosc. Am. 133—135; qui locus scholam sapit, licet multa vera sint. — Apparatu et ministris Chrysogoni descriptis („domus referta vasis Corinthiis et Deliacis . . . Quid praeterea caelati argenti, quid stragulae vestis, quid pictarum tabularum, quid signorum, quid marmoris apud illum putatis esse? . . Familiam vero quantam. . . habeat, quid . . . dicam? Mitto hasce artes vulgares, cocos, pistores, lecticarios; animi et aurium causa tot homines habet, ut cotidiano cantu . . tota vicinitas personet . . ." (Sunt enumerationes, quales comici amant: cf. Plaut. Stich. 689/90; Aulul. 508 seq. etc.) — ipse depingitur per forum ambulans: „Ipse vero quem ad modum compto et delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, iudices, . . ut omnes despiciat . . ." Quo cum loco cf. ad Her. IV, 62 (in tractatione imaginis quae dicitur: „Iste, qui cottidie per forum medium tamquam iubatus draco serpit . . . ." (cf. Demosth. Aristogit. pg. 786 = Marx, Mus. Rh. 43, pg. 397).

hominis impuri (C. Fanni Chaereae): Rosc. com. 20: „Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamitare calliditatem videntur? non ab imis unguibus usque ad verticem summum . . ex fraude, fallaciis, mendaciis constare

totus videtur? qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur; cuius personam praeclare Roscius in scaena tractare consuevit . . . Nam Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem cum agit, agit Chaeream; persona illa lutulenta, impura, invisa in huius moribus, natura vitaque est expressa . . . .“

Plane ad comoediam (Pseudolum Plauti) Cicero respicit; quae in promptu erat comoedum defendenti. Sed via ad eam sequendam iampridem opinor a rhetoribus erat munita.

mulierum assentatoris (Aebuti): Caecin. 14: „Quam personam iam ex cotidiana vita cognostis . . . mulierum adsentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, contriti ad Regiam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris et callidi.“

Descriptio Aebuti non minus generalis est quam Fanni et Chrysogoni; similes personae in comoediis tractantur (cf. militem gloriosum).

hominum taetrorum. Eorum notationes cum libidinosorum plerumque confunduntur; nonnulla tamen propria habent, quae separatim afferri possint: Verr. II, 3, § 23 (Apronius): „qui, ut ipse non solum vita, sed corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est et gurges vitiorum . . . ut, cum alii ne conviviis quidem isdem quibus Apronius, hic (Verres) isdem etiam poculis uteretur, postremo ut odor Aproni taeterrimus oris et corporis . . uni isti suavis et iucundus videretur“ (cf. Rohde pg. 50). — § 31 „Apronius . . . non . . . squaloris plenus ac pulveris, sed unguentis oblitus, vino vigiliisque languidus; omnia primo motu ac spiritu suo vini, unguenti, corporis odore complesset . . .“ cf. 134. — Eiusdem generis homo est Piso: in Pis. 13: „Meministine, caenum . . . nescio quo e gurgustio te prodire involuto capite, soleatum, et, cum isto ore foetido taeterrimam nobis popinam inhalasses . . .“ cf. 20; (cf. Plaut. merc. v. 574: „Ieiunitatis plenus, anima foetida, senex hircosus“); cf. conviviorum Pisonis derisionem: Pis. 67: „Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum . . . Toreuma nullum, maximi calices, et ii . . Placentini; exstructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. Servi sordidati ministrant . . . panis et vinum a propola atque de cupa; Graeci stipati quini in lectulis . . .“ [49]) — Nec multum abest imago Antoni: Phil. II, 63; cf. 105: „personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino, madebant parietes . . . .“ —

hominum libidinosorum: Eorum descriptiones summo verborum consensu insignes sunt: Cat. II, 5 (satellites Catilinae) „qui nitent unguentis, qui fulgent purpura“; 10: „qui . . vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti . . .“ 22 (Kayser 309): „quos pexo capillo nitidos aut imberbes aut bene barbatos videtis, manicatis et talaribus tunicis . .“; cf. Verr. II, 3. § 31. — Cum autem alii palam libidines sectentur, alii clam eis serviant, eleganter Cicero hac diversitate morum utitur in consulibus anni 58 depingendis, Gabinio profusam turpitudinem attribuens, Pisoni moderatam:

imago **hominis palam libidinosi** (Gabini): red. I, 12 „. . cincinnatus ganeo . . . ille unguentis oblitus cum toga praetexta . . . irrisit squalorem vestrum“; 13: „Vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta . . . cur in lustris . . huius calamistrati saltatoris . . . virtus . . . cessavit?“; cf. 16. — Sest. 18 (= Kayser 309): „Alter unguentis affluens, calamistrata coma . .“; 20: „Quis enim clavum tanti imperii tenere . . posse arbitraretur hominem emersum subito ex . . . tenebris lustrorum ac stuprorum, vino, ganeis, lenociniis adulteriisque confectum?“ — cf. 26. Gabini descriptioni adde Clodi: in Clod. et Cur. fr. 22—24; quamquam minus communis est. — Unguenta, vina, capillus compositus in usitatissimis coloribus sunt, quibus homines libidinosi depinguntur: similia saepe comoediae exhibent. cf. Plaut. Asin. 627: „cinaede calamistrate“ etc.

imago **hominis clam libidinosi** (Pisonis) red. I, 13: „Nam ille alter Caesoninus Calventius . . cum eum praeter simulatam versutamque tristitiam nulla res commendaret . . . Quem

[49]) Kayser, pg. 309.

praeteriens cum incultum, horridum maestumque vidisses, etiamsi agrestem et inhumanum existimares . . .“ 15/16: „Is . . . vos . . . rugis supercilioque decepit . . . tune ausus es isto oculo, non dicam isto animo, ista fronte, . . tanto supercilio . . cum A. Gabinio consociare consilia pestis meae?“ 14: „Idem domi quam libidinosus, quam impurus, quam intemperans non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus . .“ (Sequitur coniunctionis, quae est inter Pisonem et Epicureos, acerba cavillatio). — Sest. 19 (= Kayser pg.309): „Alter, o di boni! quam taeter incedebat, quam truculentus . . .! Unum aliquem te ex barbatis illis . . imaginem antiquitatis . . diceres intueri. Vestitus aspere nostra hac purpura plebeia ac paene fusca, capillo ita horrido . . . Nam quid . . . de supercilio dicam? . . Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis . . . 21. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant . . favebant, gaudebant . ; 22 . . etenim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur.“ (Sequitur reprehensio Epicureorum.) — cf. prov. cons. 8 et in Pis. 1; 12/3; 20 etc; ubi eadem depictio ornatior atque accuratior legitur; § 1. „Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt; oculi, supercilia, frons, vultus denique totus . . in fraudem homines impulit . . pauci tarditatem ingenii, stuporem debilitatemque linguae (cf. red. I, 14) (noveramus).“ — Magna pars descriptionis Pisonis proprie ad eum pertinet; siquidem vera sunt, quae Pis. 68 a Graeculo, amico consulis, se accepisse Cicero dicit. Alia perfectiori eruditioni debentur ut ea, quae disseruntur de Epicureis: praeter locos laudatos cf. Pis. 68 seq. Sed fundamentum, ut ita dicam, notationis ex communi atque attrita hominum dissimulatorum imagine promptum est. Quae facillime nasci poterat, quia aut exstant tales homines aut semper multitudo adducitur, ut, quos in publico severiores videt, eos clam peccare arbitretur. In primis vero Stoicis, ni fallor, ea crimina ab adversariis sunt obiecta; cf. Iuvenalis sat. II, v. 3.

„Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.
Indocti primum . . . .

v. 11. Hispida membra quidem et durae per bracchia setae
Promittunt atrocem animum . . . .

v. 14. Rarus sermo illis et magna libido tacendi
Atque supercilio brevior coma . . . .“[50])

hominum arrogantium: aut **tristes** incedunt maiorumque mores affectantes: leg. agr. II. 13. „Iam designatus (Rullus) alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante barbaque maiore, ut oculis et aspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam . . videretur.“ — aut **superbi** privatorumque modum excedente habitu: Cluent. 109: „Iam insolentiam noratis hominis (Quincti), noratis animos eius ac spiritus tribunicios. — 111: Facite enim, ut non solum mores et arrogantiam eius, sed etiam vultum atque amictum atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.“ — leg. ag. II. 93: „Iam vero vultum Considi videre ferundum vix erat. Quem hominem „vegrandi macie torridum“ Romae . . . abiectum videbamus, hunc Capuae Campano supercilio ac regio spiritu cum videremus . . . . . .“ cf. Rosc. Am. 135 pg. 81; Font. 33 pg. 50.

hominum ferorum (Rosciorum Capitonis et Magni): Rosc. Am. 17: „alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur, hic autem nuper se ad eum lanistam contulit, quique ante hanc pugnam tiro esset . . . facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit.“ (Marci Antoni): Phil. II. 63 „Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate . .“; (Luci Antoni): Phil. III. 31. et saepius in Philippicis; cf. Verr. II. 3. § 146. — Oratio quam arte cum inventione cohaereat, ex voce „gladiator“ potissimum disces; quae modo veram comparationem indicat, modo in conviciis est attritis. cf. ad Her. III, 6. —

hominum rapacium: Ipsi cum Charybdi et Scylla, satellites cum canibus Scyllae comparantur: Verr. II. 5. § 146: „(non enim Charybdim tam infestam neque Scyllam nautis, quam istum (Verrem) in eodem freto fuisse arbitror), hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et inmanioribus canibus succinxerat.“ — Har. resp. 59. (Clodius): „quam denique tam immanem Charybdim poetae fingendo exprimere potuerunt, quae tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantiorum Brogita-

[50]) Similiter Lucianum falsos philosophos depingere Alfredus Koerte adnotat.

rorumque praedas exorbuit, aut tam eminentibus canibus Scyllam tamque ieiunis, quam quibus istum videtis, Gelliis, Clodiis, Titiis, rostra ipsa mandentem?“ — (Verres praeterea cum Phalari, Dionysio, Cyclope, famosis Siciliae dominis, confertur) — cf. Phil. II. 67. —

Certorum generum accuratis descriptionibus adde testium imagines, quae inveniuntur: Caecin. 27. (cf. Rohde, pg 44.) — „Duo praeterea testes . . P. Caesennius . . non tam auctoritate gravi quam corpore, et . Sex. Clodius, cui cognomen est Phormio, nec minus niger nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio . .“; quae cum minus generales et minus ornatae sint, communem describendi artem sapiunt. cf. Phil. II, 15; ubi homines improbi vocantur Phormiones, Gnathones, Balliones — et Cluent. 46 „C. et L. Fabricii fratres gemini fuerunt . . homines inter se cum forma tum moribus similes.“ Saepius eius generis „paria nobilia fratrum“ tractata esse exponam pg. 111/2.

Genera hominum, qualia in notationibus tractantur, sua quaeque **instrumenta** habent, quibus naturam suam manifestam faciant. Quae cum supra attigerim, accuratius hoc loco explanabo. — Libidinosorum igitur propria sunt **convivia**: Gall. frg. 1 „Fit clamor, fit convicium mulierum, fit symphoniae cantus! Videbar mihi videre alios intrantis, . . . partim hesterna ex potatione oscitantis. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis; humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis et spinis cooperta piscium.“ — Pis. 22. „Quid ego illorum dierum epulas . . quid . . perpotationes praedicem? . . cum collegae tui domus cantu et cymbalis personaret cumque ipse nudus in convivio saltaret . . .“ cf. 67 = pg. 82/3 — Verr II. 3. § 105. „cum in eis conviviis symphonia caneret . . .“ 5. § 63, 81, 87, 92. . Rosc. Am. 134. cf. Cael. 35.

Hominibus rapacibus autem et luxuriosis **domus** crimini datur omnis nequitiae quasi sedes: Quinct. 93 „domum . . . patentem . . . cupiditati et voluptatibus“; Rosc. Am. l. l.; Verr. II. 1. § 120: „. . quam inanes domus eorum omnium, qui de iure civili consuli solent, quam plena ac referta Chelidonis.“ — 137/8 „Domus erat plena: nova iura, nova decreta, nova iudicia petebantur.“ — Pis. 87 „Quid? illam armorum officinam ecquid

recordaris. . .?“ — Phil. II. 35 „cuius domi quaestuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina“. — Non minus bonorum domus laudantur: Sull. 73. —

Addenda sunt itinera, quae alienationis in omnis generis improbos demonstrandae optimam occasionem praebent: Cluent. 193 „Nemo erat illorum, paene dicam, quin expiandum illum locum esse arbitraretur, quacumque illa (Sassia) iter fecisset. . Itaque nullo in oppido consistendi potestas ei fuit, nemo ex tot hospitibus inventus est, qui non contagionem adspectus fugeret; nocti se potius ac solitudini quam ulli aut urbi aut hospiti committebat.“ Phil. II. 48 „quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres praeter unum Misenum . . .“ Pis. 53 seq. „. . quem ad modum ingressus es? (Piso); quis tibi, non dicam horum aut civium ceterorum, sed tuorum legatorum obviam venit? . . .“ cf. prov. cons. 9. — cum magistratus luxuriose iter facientes dicacitates et iocosas depictiones vocent: Verr. II. 5. § 26 seq. . . „Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro (Verres) ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitensis rosa fartus; ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo etc“; cf. 4. § 51. 53; 5. § 40. — Pis. 31. — Phil. II. 58, 106.

Notationibus denique Kayser (pg. 309) praeter eos locos, qui aut nimis a re absunt aut alias a me tractantur, adnumerat Catil. II 20. 22 (cf. pg. 92); sed quodam modo tota pars, quae est de satellitibus Catilinae (17 „Exponam . . . ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur.“ — 23) huc pertinet, quamquam ratio magis et ars componendi, qua orator utitur, ex schola fluxit, quam materia, cuius maior pars ex vita prompta est. Similes enumerationes sunt iudicum: Cluent. 75/6; imperatorum: Verr. II. 5. § 25; ordinum populi Romani: dom. 73 seq.; satellitum Antoni: saepe in Philippicis.

Apparet praeter descriptiones, quas attuli, innumerabiles alias exstare; quas indicare omisi, cum generaliores tantum et ornatiores tractare utile putarem.

Ceterum cum in exemplis supra allatis parva sit fides, quam vocant, historica, ut esse necesse est in imaginibus certis generibus adaptatis, Catilinae depictio et acrior quam ceterorum esse videtur et veritati propior: Catil. III. 17; Muren. 49; Cael. 12. seq.

B. Vituperationes et laudationes.

I. Conviciorum conspectus passim tractatorum.

Laudationum color atque forma — praeter eas, quas aut ad universam vitam aut ad certa genera hominum pertinentes infra exponam — minus certi sunt, quam qui hic tractari possint. Vituperationes autem, quarum et copia maior et ars accuratior est, disponere paulo est difficilius. Genera enim solum respicere et suo quemque locum capiti attribuere non sufficit: partes orationum latiores nonnumquam ex variis criminationum generibus ita arte consertae sunt, ut unius vituperationis locum teneant; ex qua si quis singula excerpit, materiam criminum tenet, qua ratione componantur, non intellegit. Nec vero quae passim inveniuntur convicia idcirco aut partibus illis subnectere aut omnino neglegere licet; quorum ut forma artificiosa non exstat ita argumentum dignum consideratu est. Quare operam dabo, ut, quae passim leguntur crimina quibusque universe vitia reprehenduntur, per genera disponam, quae vero non nisi inter se conexa afferri debent, ita afferam. Quam divisionem si non semper observare potero, lectores quaeso mihi ignoscant.

Reprehenduntur igitur **patria, genus, parentes, negotia:**[51]) Quinct. 55. „quaerant, et quem ad modum natus et quo pacto educatus sim.... vetus est, de scurra multo facilius divitem quam patrem familias fieri posse.“ — Rosc. Am. 46 „Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere.“ — Verr. II. 3, § 60 „Apronio . . . homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato.“ — Cluent. 72. „ne, si se Ligurem fecisset, nationis magis quam generis uti cognomine videretur.“ — Sest. 21 „materni generis obliti (scilicet Pisonis).“ — Pis. 14 „Caesoninus Semiplacentinus Calventius.“ — Deiot. 30 „quis tuum patrem antea, quis esset, quam cuius gener esset, audivit?“ — Quinct. 11. „neque parum facetus scurra neque inhumanus praeco —“; — Pis. 62 „Mediolanensi praecone, avo tuo.“ (ad Her. III, 13/4; inv. II, 29 seq.)

vita male acta etc: Maiorem partem conviciorum, quae huc pertinent, separatim tractabo; hic mihi afferre liceat, saepe adversariis crimini dari, quod saltaverint, ita Murenae (13), Gabinio (dom. 60, Planc. 87), Deiotaro (27/8), Pisoni (22). — Similiter adversarii aleatores vocantur: Verr. II, 5, § 33. cf. quae de voce „gladiator“ adnotavi.

ingenium: Quinct. 11. „cum (Naevio) natura nihil melius quam vocem dedisset.“ Caecil. 27 „Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset . .“ (ignorantiae arguere competitorem usitatum est in divinationibus cf. pg. 109). Font. 40 „Quodsi . . . tantum haberent . . . ad fingendum ingenii.“ — Verr. II, 4, 127 „si unam litteram Graecam scisset.“ — Phil. II, 18 „Tam autem eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares.“ cf. 95. — Orationes, carmina ut inepte scripta vituperandi latior usus est. cf. celeberrimum illud „cedant arma togae“ (Pis. 73, Phil. II, 20) ab inimicis Ciceronis derisum. Quem tamen usum accuratius exponere omitto, cum non nisi una cum dicendi ratione tractari possit.

Convicia, quae attuli, communi antiquorum consuetudini debentur: subtiliorem artem, quam praecepta observari volunt desiderant (cf. ad Her. III, 3 seq. etc.). Nec vero non in omnes omnis generis homines quadrant, cum ea, quae indicaturus sum, solum oratoribus scriptoribusque conveniant: Rosc. Am. 101 „Veniat modo, explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse.“ Caecil. 47 „si ab isto libro, quem tibi magister ludi nescio qui ex alienis orationibus compositum dedit.“ 52 „video . . . non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet.“ Phil. III, 22 (agitur de edicto quodam Antoni) „En cur magister eius (Antoni) ex oratore arator factus sit!“ — Quod Cicero aliis obicit, id eum ipsum non repudiasse supra vidimus: ab aliorum doctrina plerumque pendet; ita tamen ut senior quidem raro non suam reddat alienam materiam.

2. De parte, quae est de vita et moribus.

Eius partis formam magis capitumque singulorum, ut ita dicam, inscriptiones, quam materiam communes esse, sua quisque quoniam vitia virtutesque habet, par est. Habet tamen vim certi loci, tractaturque in omnibus fere orationibus iudicialibus et in nonnullis generis demonstrativi nec caret certo nomine. (Cluent.

[51]) Quint. inst. III. 7. 10. 11, 19 seq.

164 „quae in totam causam de moribus A. Cluenti . . . accusatores collegerunt." — Sull. 69 „nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam.") Dividitur autem in reprehensionem (Mur. 11 „tris totius accusationis partis fuisse et earum unam in reprehensione vitae . . . esse versatam.") et laudationem vitae. Quarum materia exposita de consilio ac ratione universae partis dicam.

a) De reprehensione vitae.

Perfectae reprehensionis initium in adulescentia semper adversarii vituperanda versatur:

Verr. I, 11 „cuius ut adulescentiae maculas ignominiasque praetexeam," = Verr. II, 1, § 32 „Itaque primum illum actum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam. Nihil a me de pueritiae suae flagitiis audiet, nihil ex illa impura adulescentia sua . . . sileatur de nocturnis eius bacchationibus . . . damna, dedecora, quae res patris eius . . pertulit, praetereantur."

Vatin. 11 „Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere. Licet . . . per me parietes . . . perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris[52]) . . . adulescentiae turpitudo obscuritate et sordibus tuis obtegatur." Phil. II, 44 (de Antonio): „Visne igitur te inspiciamus a puero? . . Tenesne memoria praetextatum te decoxisse? Patris, inquies, ista culpa est. Concedo. Etenim est pietatis plena defensio . . Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti." — dom. 126; red. I, 11. —

cf. Cael. 3—6 „Obiectus est pater varie, quod aut parum splendidus ipse aut parum pie tractatus a filio diceretur . . . Nam quod obiectum est de pudicitia . ." (cf. 17 de aere alieno, 18 de patre a filio alieno) — Rab. perd. 8 „Nam quid ego ad id longam orationem comparem . . hunc nec suae nec alienae pudicitiae pepercisse?"

Impudicitia, luxuria, parentes male tractati unicuique crimini dantur. Praecipue vero de impudicitia „pervulgata maledicta sunt": Cael. 6, nec non in scholis simili ratione — praeteritione, quae dicitur, adhibita — tractata: ad Her. IV, 37 (de occultatione): „Nam de pueritia quidem tua, quam tu omnium intemperantiae addixisti, dicerem, si hoc tempus idoneum putarem."

[52]) cf. Plaut. Pseud. v. 367.

Reliquae vitae descriptio certum plerumque ordinem, temporum scilicet honorumque, exhibet. Ita Verres carpitur quaestor: II, 1, § 34—43; legatus Dolabellae: 44—90; proquaestor: 91—102; praetor: 103—158 (propraetor in ceteris libris). Eadem ratio magis minusve servatur in orationibus in Vatinium, in Pisonem, Phil. II.

Exstant praeterea vestigia secundum vitam private et publice actam criminum divisorum: Vat. 33. Quod in hominibus in republica versatis tantum fieri apparet. Eis quin cum vera tum ficta multa obiciantur, dubium non est; vituperantur autem praecipue libidines eorum et avaritia. Incertiorem ordinem criminum hominum privatorum aut paene privatorum reprehensiones praebuisse videntur: Cluent. 160—164 (Cn. Decidio iniuriam factam esse. — Anchari pastoribus vilicos Cluenti vim intulisse. — heredem Habitum alienorum institutum esse — etc). Rab. perd. 6 seq. Planc. 30 seq. Balb. 57. —

Reprehensionibus vitae proprie dictis addo criminum enumerationes strictissimas atque acerbissimas, quales aut ad propria crimina aut ad universam vitam adversarii pertinentes eius enumerationis locum tenent, quae pars perorationis est:

Cluent. 125 „Dum vero eum fuisse Oppianicum constabit, qui tabulas publicas municipii . . . corrupisse iudicatus sit, qui testamentum interleverit, qui supposita persona falsum testamentum obsignandum curaverit, qui eum, cuius nomine id obsignatum est, interfecerit, qui avunculum filii sui in servitute ac vinculis necaverit, etc." (Repetitio, quae dicitur, usitatum eiusmodi enumerationum ornamentum est.) — Verr. II, 5, § 136—138; 184—189 = Rohde pg. 133; leg. agr. II, 98/9; har. resp. 57—59; Vat. 22 seq. Mil. 72—75, 87, cf. 51/2 = Rohde pg. 134. —

b) De laudatione vitae.

Laudatio vitae reprehensioni ita est opposita, ut eisdem capitibus diversam materiam inclusam praebeat. Ceterum minus quam illa ex Ciceronis orationibus cognoscitur, quia et brevior esse solet et cum narratione proprie dicta sive cum defensione

vitae saepe commixta est. Ubi vero et latior exstat et purior, non desunt laudes pietatis erga parentes cognatosque cum ipsorum parentum laudatione coniunctae: Sest. 6 „Sestius natus est . . homine . . et sapiente et sancto et severo . . . 7 Clara (in socerum) P. Sesti pietas extitit." — Planc. 29 „Omitto illa, quae si minus in scaena sunt, at certe, cum sunt prolata, laudantur, ut vivat cum suis, primum cum parente (nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum), quem veretur ut deum . . . Quid dicam cum patruo, cum affinibus, etc." cf. Cael. 4.

honestorum studiorum bonorumque usūs hominum: Arch. 5 seq. Cael. 5. castitatis: Mur. 13. magistratuum gestorum: Cael. 73, Sest. 8 et passim.

Summa denique laus est ne locutum quidem esse minus apte: Mur. 14 „ut eius nulla fraus . . nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur." — Font. 40 „non modo nullum facinus huius protulerunt, sed ne dictum quidem aliquod reprehenderunt." cf. 37. — Balb. 58 „non re, non verbo, non vultu denique offendit."

Criminum enumerationibus autem oppositae sunt meritorum; qualem suorum ipsius Cicero affert Mil. 100 „Ego inimicitias potentium pro te appetivi, ego meum saepe corpus et vitam obieci armis inimicorum tuorum, ego me plurimis pro te supplicem abieci . . ." — cf. Cluent. 133.

Iam, quo consilio pars, quae est de vita et moribus, orationibus inseri soleat, explanare conabor. Sunt autem duae potissimum rationes: Laudationes scilicet et vituperationes vitae aut totae alienae sunt a vero crimine atque adeo cum cetera oratione non coniunctae suaque tantum gratiae allata, ut illa salva demi possint: Cluent. 160—164; Mur. 11—14, Arch. 5—6, Sull. 69 seq., Flacc. 6, Planc. 27—35, Sest. 5 seq., Cael. 3 seq., Balb. 56—58, (Deiot. 23—29,) cf. harusp. resp. 42/3 — (pro veris criminibus afferuntur reprehensiones vitae: Verr. II, 1, Vat., Phil. II; Quint. inst. III, 7, 2) — aut cum argumento orationis magis cohaerent minusque sua quam universae orationis ornandae causa compositae sunt: Catil. I, 13 seq., red. I, 1/2, Cluent. 125 seq., Mil. 72 seq.

Iam praecepta rhetorica, quae tenemus, in neutram harum rationum quadrant. Quae enim auctor ad Her. (II, 4/5) et Cicero (inv. II, 32—37) praescribunt de „vita hominis ex ante factis spectanda", eorum nomen tantum et pars materiae[53]) ad eam vitae morumque tractationem pertinet, quam apud Ciceronem deprehendimus; ratio longe diversa est. Praecepta scilicet partem, quae est de vita et moribus, ipsam per se esse nolunt; pro ea afferre iubent argumentationis particulam, qua orator demonstret patrasse scelus reum ex vita ante acta aut posse aut non posse credi. (inv. II, 36 „Hoc autem ipsum genus erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer ante fuisse demonstrabitur.") Qualium coniecturarum factarum „ex factis" (Rohde 55—57) ne Ciceronis quidem orationes non exempla exhibent (cf. praecipue: Rosc. Am. 100), sed praeter ea propriae illae leguntur reprehensiones et laudationes vitae. —

Cuius dissensionis quaenam explicatio est? An arbitremur talem locum, qualem praeceptorum auctores coli volunt, priorem fuisse quam Ciceronianum; cum Tullius senior esset, tum demum conviciandi licentia aucta criminationum copiae spatium nimis exiguum non iam suffecisse; ita ex appendice argumentationis iustam orationis partem factam esse? At neque tum reprehensiones, quae inveniuntur in orationibus in Verrem, pro Cluentio etc. quae non adeo multo post libros de inventione editos conscriptae sunt, tam perfectae essent neque omnino credi potest primo a. Ch. n. saeculo demum maledicendi morem Romae natum esse. Immo, quod ex generibus Ciceronianis priore loco exposui, id multo antiquissimum est, quod posteriore, natum est, cum iam formae olim necessariae pro ornamentis usurpari coepissent. Usus igitur criminum cum ipsa causa non cohaerentium in iudiciis tractandorum iampridem in urbe floruit. Quo usu cum ordo partium universaeque orationis conexus turbaretur, Graeci doctores assectatoresve Graecorum, qui nihil cura-

[53]) inv. II, 37 „negare oportebit de vita eius et de moribus quaeri"; 35: „Defensor . . debebit vitam (rei) . . . quam honestissimam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua eius nota et communia officia . . . in parentes, cognatos, amicos, adfines, necessarios; etiam . . . si ab eo cum magno aliquid labore . . aut in rem publicam . . . aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, factum esse dicet etc."

bant, nisi ut formam orationis artificiosam strictamque redderent, partem, quae est de vita et moribus, cum ea, quae pertinet ad ante facta examinanda, coniunxerunt. Quam coniunctionem ab oratoribus non servatam esse vidimus; ne schola quidem servavit: certum verae reprehensionis vitae vestigium praebet auct. ad Her. IV, 37 = pg. 90/1. Usus igitur fortior fuit quam doctrina. Sedes tamen reprehensionum laudationumque eadem aut semper fuit aut facta est, quam rhetores esse voluerunt: pars de vita et moribus, ubi primum locum non tenet, disertis verbis id indicatur: Sull. 69.

— De vituperationibus reprehensionibus vitae similibus in contentionis formam redactis cf. pg. 110/1.

3. Certa genera hominum quomodo laudentur.

Laudatio imperatorum (= Pompei).

Ex vituperationibus certorum generum, quae notabiliora essent, in notationibus attuli. Laudationis perfectum exemplum est praeconium Pompei: leg. Manil. 28 seq., Balb. 9 seq. —

leg. Manil.	**Balb.**
de scientia rei militaris.	
I.	I.
28 „Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit aut esse debuit? qui e ludo atque pueritiae disciplinis bello maximo . . ad patris exercitum . . profectus est, qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris, ineunte adulescentia maximi ipse exercitus imperator qui . . . plura bella gessit quam ceteri legerunt, plures provincias confecit quam alii concupiverunt — (sequitur bellorum a Pompeio gestorum enumeratio): Quod denique genus esse belli potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae?	9 „Quid enim abest huic homini . .? Ususne rerum? Qui pueritiae tempus extremum principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum, cuius plerique aequales minus saepe castra viderunt, quam hic triumphavit, (qui habet) tot victorias . . ., quot sunt . . . genera bellorum. . . .

de virtute.	
II.	II.
29 seq. (Enumerantur terrae, quae Pompeium bellum gerentem viderunt.) . . . testes nunc vero iam omnes sunt orae atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia cum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus . . . (Narratur subactio praedonum; celeritas vincendi laudatur.)	qui tot habet triumphos, quot orae sunt partesque terrarum,
de temperantia.	
III.	IV.
36 seq. (orator exponit Pompeio provincias tenente primum exteras nationes intellexisse, cur maiores sui Romanis se dedissent: eā eum fuisse temperantia, ea fide, ea humanitate, eo consilio ornatum.) Itaque omnes nunc in iis locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur . . cf. 67. Ora maritima . . Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit.	. . . An pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia umquam requisita est? Quem provinciae nostrae . . . quem ultimae gentes castiorem, moderatiorem, sanctiorem . . aut sperando umquam aut optando cogitaverunt? cf. 13 Quae est enim ora . . . (in qua) non exstent huius cum fortitudinis, tum vero humanitatis . . . tum consilii inpressa vestigia?
de auctoritate.	
IV.	V.
43 seq. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii . . . existiment, quis ignorat . . .? Quod igitur nomen umquam in orbe	10 Quid dicam de auctoritate? quae tanta est, quanta in his tantis virtutibus . . esse debet.

terrarum clarius fuit . . .? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam praeclara iudicia fecistis? . . . (sequuntur exempla).

Cui senatus populusque R. amplissimae dignitatis praemia dedit non postulanti, imperia vero etiam recusanti . . .

de felicitate.

V.

47/8 . . . ut eius semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint."

III.

9 „cui etiam ipsi casus eventusque rerum non duces, sed comites consiliorum fuerunt."

Laudationum, quas attuli, Pompei recentiorem et minus accuratam (pro Balbo) perfectioris priorisque imaginem esse apparet. Haec autem (leg. Manil.) laudationum imperatorum, quales in scholis tractatae esse putandae sunt, certum exemplum est. Quamquam praecepta rhetorica, quae plane huc pertineant, non tenemus (cf. ad Her. III, 10—15, de or. II. 342—348.) — Cf. ceterum dom. 16: „quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillime perfecturum."

Cum igitur laudatio Pompei formae a scholae inventae quasi includatur, laudatio Caesaris (Marcell. 5 seq.) multo magis viro, ad quem pertinet, accommodata est.[54])

[54]) Dispositionem laudationis, quae legitur leg. Manil. 28 seq., affert Meusburger in programmati Riedensi 1892: pg. 10 seq.: cui tamen paene nihil debeo. —

V.

Compositionis formae artificiosae.

Ex variis formis compositionis, quae ad breviores partes orationum pertinent, eas eligam, quae et artem certissimam praebent et cum inventione artissime cohaerent: ratiocinationem et contentionem.

A. De ratiocinatione perfecta.

Ratiocinationis perfectae unum adhuc exemplum in orationibus Ciceronianis investigatum esse video. Quod enim praebet Rohde (pg. 95/6 = Mil. 32—33; Victorin. ad invent. rhetor. I 68/9) aut nullum est aut obscurissimum. Contra Ernst (pg. 13) rectissime affert: Rosc. Am. 69—73. Cui loco antequam alios adiciam — persaepe enim artificioso illo disputandi genere Tullius utitur — paucis explanabo

I. Quae ex praeceptis rhetoricis de ratiocinatione discamus.

1. De ratiocinatione quinquepertita.

Ad Her. II 28 seq. **propositio.** „Causam ostendemus Ulixi fuisse, quare interfecerit Aiacen. Inimicum enim . . . de medio tollere volebat, a quo sibi non iniuria summum periculum metuebat.

ratio. (= propositionis approbatio; inv. I 58/9.) Videbat illo incolumi se incolumem non futurum; sperabat illius morte se salutem sibi comparare; consueverat, si iure non potuerat, iniuria quavis inimico exitium machinari . . . . . .

rationis confirmatio. (= adsumptio.) Si multos induxit in peccatum pecuniae spes, si complures scelere se contaminarunt imperii cupiditate, si multi leve compendium fraude maxima commutarunt, cui mirum videbitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse?

. . . . . .

exornatio. (=adsumptionis approbatio.)

Nam cum feras bestias videamus alacres et erectas vadere, ut alteri bestiae noceant, non est incredibile putandum istius quoque animum ferum, crudelem atque inhumanum cupide ad inimici perniciem profectum. . . . . .

complexio.

Si ergo pollicitus sum me daturum causam, qua inductus Ulixes accesserit ad maleficium, et si inimicitiarum acerrimam rationem et periculi metum intercessisse demonstravi, non est dubium quin confiteatur causam malefici fuisse."

Exemplum scholam olet; sed accuratissime compositum absolute argumentandi rationem optime illustrat. Eiusdem formam paulo liberiorem idem auctor ad Her. praebet, ubi de expolitione loquitur. (IV.57. seq. = Kayser pg. 305; **prop.** „Sapiens — est; **ratio**: Ergo — multis; **confirm.** Etenim — venire: **exornatio**: Ita — enitescit; **compl.** Quodsi — vitant.") In quo exemplo disertis verbis, quae expositurus sit, indicare omittit (contra supra: „causam ostendemus").

Ex Ciceronianis exemplis (inv. I, 58/9; 68/9) id afferam, quod formam et liberiorem et expolitiorem habet.

Cicero, inv. rhet. I, 68/9: **propositio.**

„Omnes leges, iudices, ad commodum rei publicae referre oportet et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in litteris est, interpretari.

propositionis approbatio.

Ea enim virtute et sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud nisi salutem atque utilitatem rei publicae proponerent. . . . . Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed rei publicae . . . . . Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta omnia interpretari convenit . . . . . .

adsumptio.

Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet . . . sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod rei publicae conducat, proficisci . . . . . .

(complexio prior.)

Ergo in hoc quoque iudicio desinite litteras legis perscrutari et legem, ut aequum est, ex utilitate rei publicae considerate.

adsumptionis approbatio.

Quid magis utile fuit Thebanis, quam Lacedaemonios opprimi? Quid magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem, quam victoriae Thebanorum consulere decuit? . . . . . Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset rei publicae causa, id non ex rei publicae salute interpretari.

complexio.

Quodsi leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti rei publicae profuit, profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse et legibus non obtemperasse."

Exemplum Ciceronianum ab auctoris ad Her. eo differt, quod complexionem habet cum propositione minus congruentem. Cum enim auctor in complexione disertis verbis indicet probavisse se, quae in propositione probaturum se promisisset, Cicero generali sententiae in initio argumentationis allatae in fine opponit usum eius in certa re probatum. Praeterea cum auctor in altero exemplo propositione excepta unam quamque partem ratiocinationis conclusione finiat, in altero solum in complexione id faciat, Cicero post adsumptionem graviorem conclusionem cum auditorum allocutione coniunctam inserit ne hanc quidem non certae causae („in hoc quoque iudicio") magis aptam quam generali sententiae propositionis; ita ut Ciceronis argumentatio, quae in duas paene partes dividitur, sententiarum conexum consulto deletum praebeat, ea, quae auctori ad Her. probatur, formam exhibeat cum strictiorem tum minus artificiosam.

2. *De ratiocinationibus brevioribus.*

ad Her. II. 30: „. . . sed ea (argumentatione absolutissima) non semper necesse est uti. Est cum complexione supersedendum est, si res brevis est . . . est cum exornatio praetermittenda est, si parum locuples ad . . exornandum res videtur esse. Sin et brevis erit argumentatio et res tenuis aut humilis, tum et exornatione et complexione supersedendum est. . . . Ergo amplissima est argumentatio quinquepertita; brevissima est tripertita; mediocris . . . quadripertita."

Cic. inv. I, 70 seq. „Quattuor autem partibus constat argumentatio, cum aut proponimus aut adsumimus sine approbatione; . . . . Utraque approbatione praeterita tripertita fit . . . ."

Secundum auctorem ad Her. igitur aut quinta aut quarta pars ratiocinationis aut utraque omitti possunt, secundum Ciceronem aut secunda aut quarta aut utraque.

II. Exempla, quae in orationibus Ciceronis inveniuntur.

Ea duplici ratione tractabo. Primum de forma dicam; deinde quaeram, quibus in orationibus orationumve partibus quaque aetate oratoris potissimum exstent.

I. De forma.

a) Ratiocinationes quinquepertitae.

Formam rudiorem et magis rhetoricis ad Her. adaptatam deprehendimus: Quinct. 37—41.

„Non fuit causa, cur postulares . . . . Quia
propositio. Sex. Naevio neque ex societatis ratione neque privatim quicquam debuit Quinctius.

Quis huic rei testis est? Idem, qui acerrimus adversarius . . . . Annum et eo diutius post mor-
pr. approbatio. tem C. Quincti fuit in Gallia tecum simul Quinctius. Doce te petisse ab eo istam nescio quam innumerabilem pecuniam, doce aliquando mentionem fecisse, dixisse deberi . . . . . .

Quis tam dissolutus in re familiari fuisset . . . . qui, cum res ab eo, quicum contraxisset, recessisset
adsumptio. et ad heredem pervenisset, non heredem . . certiorem faceret . . . si quid in controversiam veniret, aut intra parietes aut summo iure experiretur?

Itane est? quod viri optimi faciunt . . id Sex. Naevius non faceret, qui usque eo fervet ferturque
ads. approbatio. avaritia, ut de suis commodis aliquam partem velit committere . . . . . ? Huic tum molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare libere non sinis. . . . . .

Credamus hoc, Sex. Naevium, cuius caput
complexio. oppugnet, eius auribus pepercisse? Si debuisset, Sexte, et petisses statim; si non statim, paulo quidem post: si non paulo, at aliquanto; . . . . . (sequitur

facultatis petendi copiosa descriptio) . . . . . Satis est argumenti nihil esse debitum Naevio, quod tam diu nihil petivit.“

Magis libri I de inventione praecepta orator sequitur Arch. 18—19:

„Quotiens ego hunc Archiam vidi . . . cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum
propositio. optimorum versuum . . dicere ex tempore . . . Hunc ego non diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem?

(Atque sic) a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia ex doctrina et
pr. approbatio. praeceptis et arte constare, poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu inflari.

Quare suo iure noster ille Ennius „sanctos“
adsumptio. appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.

Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla
(complexio umquam barbaria violavit. Saxa et solitudines
prior.) voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur . . .; nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur?

Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, . . .
ads. approbatio. Salaminii repetunt . . . . . permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem
complexio. etiam expetunt; nos hunc vivum, qui . . . noster est, repudiabimus. . . ?“

Ratiocinationes quinquepartitae praeterea inveniuntur:

Quinct. 48—50: Cicero docet — propositio: Naevium non ilico ad praetorem ire debuisse („Ad vadimonium — reservares?“); — prop. approbatio: Nemini enim bonorum auctione quicquam turpius posse evenire („Nam quid — potest?“); — adsumptio: Ea leviores esse et pecuniae a fortuna ereptae et turpis iudicii conditiones („Pecuniam — amandatur.“); — ads. approbatio: Ne mortem quidem inhonesta vita non meliorem esse („Etenim —

relinquit."); — complexio: Ergo omnibus molestiis, quae cum bonorum auctione coniunctae sint, respectis neminem miseriorem esse, quam eum, cuius bona ex edicto possideantur („Ergo — distrahendas.").

Caecin. 41—43: prop.: Ubi pericula terroresque mortis fuissent, ibi, etsi defuissent caedes, vim esse factam. („Dici — non erit?") — pr. appr.: Ea ratione fieri posse, ut exercitus nullo vulnere accepto ipso metu commoti fugiant. („Ego — vulnere.") — ads.: Vim enim cum ad corpus tum ad animum pertinere. („Etenim — demovet.") — ads. app.: Id apparere in eis, qui corporibus integris locum relinquant, postquam animus sit perterritus. („Itaque — sit.") — complexio: Quod vehemens in bello, idem in iure civili vehemens esse putandum. („Quodsi — constabit?")

Tull. 41—42: prop.: „Etenim — dent". pr. app.: „Nam si — iniuria". ads.: „Neque enim — advertere". ads. appr.: „In hoc iudicio — iniuria?" compl.: „Non ergo — noluerunt".

Muren. 3—5: prop.: „A quo tandem — a consule?" prop. appr.: „Quis mihi — sustentata?" ads.: „Quodsi — facultatis". ads. appr.: „Quodsi — subeundas?" compl.: „Quare — vocare".

C. Rabir. perd. 29—30: prop.: „Itane vero — cogitasset?" prop. appr: „At, credo — arbitrabatur". ads.: „Non est ita — ducatur". ads. appr.: „Itaque — videatur". compl.: „Quapropter — ceperunt".

Varietas et copia ratiocinationum quinquepertitarum ex ipso indice apparet: partitio certior fieri nequit.

b) Ratiocinationes quadripertitae.

In ratiocinationibus quadripertitis et tripertitis praecepta Ciceronis de inv. observari solent.

Rosc. Am. 111—112:

propositio. Cicero explicat (Kayser pg 305 locum expolitionibus adnumerat.): Maiores eum, qui rem mandatam malitiosius vel negligentius gessissent, summo dedecore dignum putavisse. („In privatis — existimabant.")

pr. approbatio. Eosdem suo iure mandati iudicium non minus turpe instituisse quam furti. („Itaque — societatem.")

adsumptio. Mandatis neglectis enim amicitias vim suam perdere. („Non — sunt.")

complexio. Ergo qui socium fraudet, eum fidem fallere et amicitiam. („Ergo — credidisset.")

Rabir. perd. 1—3: prop.: „Etsi — debet videri". prop. appr.: „Nam me — coegit". ads.: „Non — temptata est". complexio: „Quam ob rem — dignum iudicare". (Quod sequitur enuntiatum: „Quam ob rem — debebit" pro parte ratiocinationis haberi nequit, cum nihil novi afferat.)

dom. 100—101: prop.: „sin — constituta". pr. appr.: „An ego — bonorum"? ads.: „Sp. Maeli — videtis". compl.: „Quam — videar?"

c) Ratiocinationes tripertitae.

Arch. 1.

propositio. „Si quid est in me ingenii . . . aut si qua exercitatio dicendi . . . earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet.

pr. approbatio. Nam, quoad longissime potest mens mea respicere . . . hunc video mihi principem . . . horum studiorum exstitisse.

complexio. Quodsi haec vox . . non nullis aliquando saluti fuit . . huic profecto ipsi . . . et opem et salutem ferre debemus."

dom. 45—47: prop.: „Vobismet — debetis." pr. appr.: „Nam, cum — putari?" complexio: „Ac, si — spe largitionis oblata." (Copiosa disputatio inspicientem primo turbat: tres tantum partes esse accuratior examinatio docet.)

Quae exemplа adhuc attuli, ea a praeceptis, quae tenemus, rhetoricis pendent. Restat, ut formas quasdam indicem, quae aut a communi usu magis abhorrent aut ad praecepta pertinent occultiora.

Primum autem loci exstant, ubi compositio quidem enuntiatorum ad ratiocinationis exemplum facta est, interior vero, ut ita dicam, sententiarum conexus liberior est quam in veris argumentationibus esse solet.

leg. Manil. 1/2. I. Exponit Cicero adhuc se in comitiis dicere non ausum esse. („Quamquam — prohibuerunt.")

II. Addit causas: cum nihil nisi perfectum eo afferendum esse putaverit, omne tempus in causis agendis se consumpsisse. („Nam — putavi.")

III. Quid ex ea conditione vitae effectum sit, docet: summum honorem populi gratia se consecutum esse. („Ita — consecutus.")

IV. Cur a populo se exornatum putet, explicat: praetorem primum se esse renuntiatum. („Nam — praescriberetis.")

V. Ostendit auctoritate et ingenio quomodo uti velit: populo se gratum fore. („Nunc — duxerunt.")

Locus is est, ut paucis mutatis in veram ratiocinationem mutari possit. Talis, qualis exstat, partes, quae plane sibi respondeant, non praebet: certae argumentationis lineae eleganter neque inconsulto deletae sunt. cf. Mur. 1; dom. 1—2; prov. cons. 1—2; Phil. IX, 1—2; adde Arch. 16—17.

Deinde fit, ut breviores ratiocinationes longioribus eleganter inserantur membrisque invicem sibi implicatis quae alterius figurae complexio est, eadem alterius sit propositio. Ita ratiocinationum quasi corollae nascuntur.

Rosc. Am. 61—73. (In partiendo loco subtilior sum quam Ernst pg. 13.)

propositio communis. Parricidii neminem convinci, nisi qui multas parentis occidendi causas habuisse demonstretur. (§ 61—62.)

approbatio I. Nimiam enim esse necessitudinem sanguinis. (§ 63.)

adsumptio. Exemplum Caeli Tarracinensis. (§ 64.)

(complexio prior) = prop. secundaria α) Suo iure iudices filios Caeli non condemnasse, cum recte concluderent, qui patrem necassent, eos somno privatos fuisse. (§ 65—66.)

ads. approbatio = propositionis sec. α) appr. Mentem enim turbari parricidarum apparere ex fabulis, ubi, qui a Furiis agitari putentur, sua vere excitentur conscientia. (§ 67.)

complexio I. Ergo diligentissime inquirendum esse in eos, qui parricidii accusentur. (§ 68.)

approbatio II = prop. sec. β) (In altera approbatione orator ex poenae magnitudine sceleris immanitatem demonstrare vult; quod disertis verbis nisi in complexione non indicat.) Prudentiores Romanos esse in parricidiis puniendis quam ceteras nationes. (§ 69.)

approbatio. Id effici ex Atheniensium consuetudinis Romanorumque comparatione. (§ 70.)

adsumptio. Maxime enim quadrare culleum in homines improbissimos. (§ 70—72.)

complexio communis. Non satis paratum venisse Erucium, qui causas necis Roscianae indicare nequeat. (§ 72—73.)

Arch. 19—22.

complexio (cf. pg. 113) = propositio communis. „Ergo illi alienum . . . post mortem etiam expetunt; nos hunc vivum . . . repudiabimus, praesertim cum omne . . studium . . contulerit A. ad populi R. gloriam . . celebrandam?

approbatio I = prop. sec. α) Nam et Cimbricas res . . . attigit et ipsi . . . C. Mario . . . iucundus fuit.

approbatio. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur.

adsumptio. Themistoclem . . dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama . libentissime audiret: „eius, a quo sua virtus optime praedicaretur." Itaque ille Marius item . . . Plotium dilexit . . .

approbatio II = prop. sec. β) Mithridaticum vero bellum . . totum ab hoc expressum est; qui libri non modo L. Lucullum . . . verum etiam populi R. nomen illustrant.

approbatio. Populus enim R. aperuit . . Pontum . . . . . .

(compl. prior.) Quae quorum ingeniis ecferuntur, ab iis populi R. fama celebratur.

adsumptio. Carus fuit Africano . . . noster Ennius . . . cuius (Enni scilicet) laudibus . . . etiam populi R. nomen ornatur. . .

complexio communis. Ergo . . . Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt; nos hunc Heracliensem . . de nostra civitate eiciemus?"

II. Addit causas: cum nihil nisi perfectum eo afferendum esse putaverit, omne tempus in causis agendis se consumpsisse. („Nam — putavi.“)

III. Quid ex ea conditione vitae effectum sit, docet: summum honorem populi gratia se consecutum esse. („Ita — consecutus.“)

IV. Cur a populo se exornatum putet, explicat: praetorem primum se esse renuntiatum. („Nam — praescriberetis.“)

V. Ostendit auctoritate et ingenio quomodo uti velit: populo se gratum fore. („Nunc — duxerunt.“)

Locus is est, ut paucis mutatis in veram ratiocinationem mutari possit. Talis, qualis exstat, partes, quae plane sibi respondeant, non praebet: certae argumentationis lineae eleganter neque inconsulto deletae sunt. cf. Mur. 1; dom. 1—2; prov. cons. 1—2; Phil. IX, 1—2; adde Arch. 16—17.

Deinde fit, ut breviores ratiocinationes longioribus eleganter inserantur membrisque invicem sibi implicatis quae alterius figurae complexio est, eadem alterius sit propositio. Ita ratiocinationum quasi corollae nascuntur.

Rosc. Am. 61—73. (In partiendo loco subtilior sum quam Ernst pg. 13.)

propositio communis. Parricidii neminem convinci, nisi qui multas parentis occidendi causas habuisse demonstretur. (§ 61—62.)

approbatio I. Nimiam enim esse necessitudinem sanguinis. (§ 63.)

adsumptio. Exemplum Caeli Tarracinensis. (§ 64.)

(complexio prior) = **prop. secundaria α)** Suo iure iudices filios Caeli non condemnasse, cum recte concluderent, qui patrem necassent, eos somno privatos fuisse. (§ 65—66.)

ads. approbatio = propositionis sec. α) appr. Mentem enim turbari parricidarum apparere ex fabulis, ubi, qui a Furiis agitari putentur, sua vere excitentur conscientia. (§ 67.)

complexio I. Ergo diligentissime inquirendum esse in eos, qui parricidii accusentur. (§ 68.)

approbatio II = prop. sec. β) (In altera approbatione orator ex poenae magnitudine sceleris immanitatem demonstrare vult; quod disertis verbis nisi in complexione non indicat.) Prudentiores Romanos esse in parricidiis puniendis quam ceteras nationes. (§ 69.)

approbatio. Id effici ex Atheniensium consuetudinis Romanorumque comparatione. (§ 70.)

adsumptio. Maxime enim quadrare culleum in homines improbissimos. (§ 70—72.)

complexio communis. Non satis paratum venisse Erucium, qui causas necis Roscianae indicare nequeat. (§ 72—73.)

Arch. 19—22.

complexio (cf. pg. 113) = **propositio communis.** „Ergo illi alienum . . . post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum . . . repudiabimus, praesertim cum omne . . studium . . contulerit A. ad populi R. gloriam . . celebrandam?

approbatio I = prop. sec. α) Nam et Cimbricas res . . . attigit et ipsi . . . C. Mario . . . iucundus fuit.

approbatio. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur.

adsumptio. Themistoclem . . dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama . libentissime audiret: „eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.“ Itaque ille Marius item . . . Plotium dilexit . . .

approbatio II = prop. sec. β) Mithridaticum vero bellum . . totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum . . . verum etiam populi R. nomen illustrant.

approbatio. Populus enim R. aperuit . . Pontum . . . . . .

(compl. prior.) Quae quorum ingeniis ecferuntur, ab iis populi R. fama celebratur.

adsumptio. Carus fuit Africano . . . noster Ennius . . . cuius (Enni scilicet) laudibus . . . etiam populi R. nomen ornatur. . .

complexio communis. Ergo . . . Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt; nos hunc Heracliensem . . de nostra civitate eiciemus?“

Similiter compositae sunt §§ 23—30; nec non §§ 16—17 latioris ratiocinationis, quae sequitur (§ 18—19; pg. 101), quasi praeludium sunt; ita ut dimidia fere pars orationis pro Archia (§ 16—31) ex ratiocinationum artificiosarum veluti catena pendeat. — Cohaeret autem haec figura cum contentione. cf. pg. 119.

Hactenus de variis formis ratiocinationis. Quas omnes Cicero scholae debet: nam etiam elegantissimam illam, quam postremo tractavi, excoluisse magis quam invenisse videtur. Tamen et doctores ipsi operam dabant, ut a rudioribus figuris (auct. ad Her.) ad perfectiores (Cic. inv.) progrederentur, et Tullius iunior (Quinct., Rosc., Caecin. etc) minus eleganter ratiocinatus est quam senior. (Arch.)

2. De locis, quibus ratiocinatio absoluta legitur.

Ratiocinationis usum et or. pro Quinctio (anno a. Ch. n. 81) et orationes Philippicae (a. 44/3) praebent; ab aetate igitur non pendet. Magis cohaeret cum genere dicendi: siquidem in eis orationibus, quas iuvenis Cicero scripsit, ratiocinatio cum genere acuto et interrogationibus distincto coniungi potest (Quinct.), in recentioribus eadem ornatiorem orationem concinnioremque quasi magis sibi cognatam postulat. Maxime vero materia, quae ab oratore tractatur, — si usurpatur ratiocinatio — cur usurpetur, causae est; atque in primis loci communes et exordia eam admittunt.

a) De locis communibus.

Huc pertinent Rosc. Am. 61—73, 111—112 (de parricidio; de mandato neglecto); Quinct. 49—50 (de auctione bonorum); Tull. 41—42 (de vera interpretatione legis Aquiliae); Caecin. 41—43 (de vi); dom. 100—101 (exempla hominum, quorum domus deletae sunt). — Suspicari possumus, immo videmus (cf. exempla allata ex auct. ad Her. et ex Cic. inv.) rhetores ad ratiocinationem demonstrandam locos communes potissimum adhibuisse. Quem usum oratores servaverunt. Praeterea ipsi commentarii rhetorici argumenta plerumque non rudia sed artificiose composita praebuisse videntur. Ex eis sive directe sive per suos libellos nonnumquam cum materia formam Cicero

hausit. Ceterum similiter Rab. 29—30, quem locum suo commentario debet, ratiocinatione utitur. cf. Muren. 3—5; Arch. l. l.

b) De exordiis.

Eorum capita solum ratiocinationibus contineri solent; fines aut novas sententias aut transitiones, quibus ad argumentationes sive narrationes auditores ducantur, praebent: Rab. 1—4; Arch. 1; Mur. 1; dom. 1—2; Philipp. IX, 1—2.

Usum in exordiis ratiocinationis adhibendae recentem esse certum est. Vetus forma eorum fuit aut incultior aut bipertita (pg. 122/3.). Quo usu principia lenta prius nimisque copiosa breviora multo atque elegantiora facta sunt. (Tacit. dial. 22, Ernst. pg. 17.) Quod meritum quatenus Ciceronis sit, quatenus aliorum, discerni nequit.[55])

B. De contentione.

Pauca exempla, quae Kayser affert (pg. 289, 291, 306; cf. Volkmann pg. 412 seq.), non sufficiunt ad varium usum contentionis explicandum, quam in praecipuis ornamentis Cicero habuit. In qua tractanda — quae via ad propositum finem celerrime semper ducit — definitione vocis omissa in medias statim res descendere mihi liceat, praesertim cum exempla auctoris ad Her. IV, 21, 58, a quibus initium capi poterat, ad unum potius genus contentionis quam ad universam figuram pertineant. Cum vero et de forma et de argumento dicendum sit, ita disponam materiam, ut, postquam explicaverim, qui loci quaeve causae potissimum contentiones flagitent, formas praecipuas enumerem. Quamquam, forma quoniam cum argumento artius cohaerere solet, fieri non poterit, quin saepius bis eadem afferantur.

I. De argumento.[56])

a) Cum ipsa iudicia nihil sint nisi rerum hominumque comparationes contentionesque, mirum non est etiam disertis saepe

[55]) Ratiocinationem usurpat Horatius: carm. II, 10; **prop.** v. 1—4; **pr. appr.**: 5—8; **adsumtio**: 9—12; **ads. approbatio** (liberior): 13—20; **compl.**: 21—24. cf. Kiessling ed. Hor. 2, pg. 173 — et carm. I, 22; III, 23; II, 2, 3 etc.

[56]) Pars contentionis est „contrarium“ (ad Her. IV, 25) = ἐνθύμημα (Cic. top. 55 „illa rhetorum ex contrariis conclusa“); cf. Kayser pg. 291, Volkmann pg. 153, Rohde pg. 102 seq. —; cuius exempla in ceterae contentionis exemplis nonnulla indicabo; separatim rem tractare necesse non est.

verbis **reum cum accusatore**, clientis causam conditionesque cum adversarii certantes induci. Quod maxime fit in exordiis et perorationibus:

Quinct. 92—93: „Si causa cum causa contenderet, nos nostram perfacile quoivis probaturos statuebamus: quod vitae ratio cum ratione vitae decerneret, idcirco nobis etiam magis te iudice opus esse arbitrati sumus. Ea res nunc enim in discrimine versatur, utrum possitne se contra luxuriem ac licentiam rusticana illa atque inculta parsimonia defendere an . . . cupiditati petulantiaeque addicatur. Non comparat se tecum gratia P. Quinctius, Sex. Naevi, non opibus, non facultate contendit . . . fatetur se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse, non ab afflicta amicitia . . . ad florentem . . . devolare, non profusis sumptibus vivere . . . non habere domum clausam pudori et sanctimoniae . . . contra sibi ait officium, fidem, diligentiam, vitam omnino semper horridam atque aridam cordi fuisse.“ — cf. Quinct. 1—2, 84: Rosc. Am. 13/4; Rosc. com. 1/2; Verr. II, 1, § 3; Caecin. 1.

Simili ratione inter **auxilia** certantium comparatio institui potest, ut sunt elegantissimae inter testes rei atque accusatoris in orationibus pro Fonteio, Flacco, Scauro. De quibus dixi in causis repetundarum pg. 49, 51.

cf. Catil. II, 24—25 (Volkm. pg. 415): „Instruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia vestrosque exercitus. Et primum gladiatori illi confecto et saucio consules imperatoresque vestros opponite; deinde contra illam naufragorum eiectam ac debilitatam manum florem totius Italiae . . . educite. Iam vero urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis silvestribus. Neque ego ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo.“ — Copiis, quae ante oculos positae sunt, inter se comparatis ea auxilia Cicero sibi opponit, quibus, cum oculis cerni nequeant, re vera causae nituntur utriusque: „Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia . . . hinc pietas, illinc scelus . . . hinc continentia, illinc lubido: denique aequitas, temperantia . . . . certant cum iniquitate, luxuria . . . postremo copia cum egestate . . . . . .“

Adde Autronium et Sullam inter se collatos, quorum hic a Cicerone defenditur, ille quamquam non verus adversarius,

attamen oratori minus amicus est et adversario argumentanti utilis: Sull. 14—20, 71/2;

nec non clientis utriusque **patronos** inter se **certantes**: Quinct. 35; Verr. I, 33—34; Rab. perd. 11; Sull. 24/5, 44/5.

Ut omnes causae contentiones admittunt, ita eae flagitant, quae iuris controversia paene omissa in ipsa comparatione hominum totae versantur. Quales supra tractavi causas **repetundarum** (Font., Scaur., Flacc.) et **ambitus** (Muren., Planc., cf. in tog. cand.) Ad idem genus pertinet contentio, quae est inter Caecilium et Ciceronem **eandem defensionem** utrumque **petentes**:

in Caecil. § 10: „dicendum necessario est de contentione nostra“; 11—22 quaeritur, utrum Siculi accusatorem esse velint; 22—35 fides Ciceronis perfidiae Caecili opponitur (35: „Ac vide, quantum interfuturum sit inter meam atque tuam accusationem. Ego etiam, quae tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum . . . tu contra, ne quae ille quidem fecit, obicies . . .“); tum ingenii tarditate Caecili derisa (35—60) et pudore petitorum inter se collato (41—43) Cicero adversario crimini dat, quod quaestor praetorem accusaturus sit (61 seq.); quam partem, ut ne hic quidem contentio desit, his verbis inchoat: „Ac vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam. Tu cum omnibus rebus inferior sis, hac una in re te mihi anteferri putas oportere, quod quaestor illius fueris; ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere.“

Adiciendae sunt eae causae, ubi accusator et reus adeo se oppugnant, ut alterum, quod sibi scelus crimini detur, commisisse uterque affirmet; ita, ut non solum quaeratur, reus utrum malefecerit necne, sed etiam, **utrum reus** malefecerit **an accusator**. Ita in or. pro Rosc. Am. disceptatur, utrum Sextus an Titus patrem Sexti occiderit (§ 13, 86, 152 etc), in or. pro Cluentio, utrum reus an accusator iudices corruperit:

§ 64 etc. cf. 83 in fine: „Quare si istinc causa corrumpendi iudicii, si istinc pecunia, istinc Staienus, istinc denique omnis fraus et audacia est, hinc pudor, honesta vita, nulla suspicio pecuniae, nulla corrumpendi iudicii causa, patimini . . . eo transire illius turpitudinis infamiam, ubi cetera maleficia consistunt, ab eo invidiam discedere aliquando, ad quem numquam

accessisse culpam videtis.“ — in or. pro Mil., utrum Clodius an Milo insidias fecerit: § 32 seq., 36 seq., 55 seq. Elegantissime Clodius Miloni opponitur:

51/2: „Video adhuc constare, iudices, omnia, Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere, illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis; odium fuisse illius in hunc acerbissimum, nullum huius in illum; consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellenda . . .“

b) A reorum cum accusatoribus contentionibus non multum absunt eae, quas **vituperandi** gratia inter suos et adversarii mores, vitam, conditionem orator instituit. Ita Cicero in Verr. II, 5, § 35 seq. qua ipse in quaestura, aedilitate, praetura administrandis usus sit, diligentiam religionemque cum Verris impudentia comparat: „Ita quaestor sum factus, ut mihi illum honorem tum non solum datum, sed etiam creditum et commissum putarem; sic obtinui quaesturam in . . provincia, ut omnium oculos in me unum coniectos arbitrarer . . . Nunc sum designatus aedilis; habeo rationem, quid a populo R. acceperim . . . (38). Tu cum esses praetor renuntiatus . . . non ipsa praeconis voce excitatus es . . . ut hoc putares, aliquam rei publicae partem tibi creditam . . .“ = Kayser 306. In or. in Pisonem vero inde a § 2 omnes utriusque honores percurrens suam cum inimici vita confert:

§ 2. „Nam tu cum quaestor es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Aedilis es factus; Piso est a populo R. factus, non iste Piso. Praetura item maioribus delata est tuis . . .

Me cum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis populus R. faciebat, homini ille honorem, non generi . . deferebat. . .

§ 3. Tu consul es renuntiatus . . . impeditis rei publicae temporibus. . .

Me cuncta Italia . . . consulem declaravit. . .

§ 4—7. Ego Kalendis Ian. senatum et bonos omnes legis agrariae . . . metu liberavi. . .

§ 8—30. Aude nunc, o furia, de tuo (consulatu) dicere! cuius fuit initium ludi compitalicii . . facti . . contra auctoritatem huius ordinis. . .

§ 31—33. . . . Atque ut tuum laetissimum diem cum tristissimo meo conferam, utrum tandem bono viro et sapienti optabilius putas, sic exire e patria, ut omnes sui cives . . . reditum precentur, quod mihi accidit, an, quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur . . .?

§ 34—36. . . . quid conferam reliqua, quae in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? . . .

§ 37—50. Confer nunc, Epicure noster . . . absentiam tuam cum mea. . . .

§ 51—63. . . tuum, si placet, reditum cum meo conferamus.

§ 64 seq. Num etiam in hac cotidiana . . . vita splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam . . . nobis aut . . . cuiquam es infimo . . antelaturus? . . .“ cf. redit. I, 6. Phil. II, 4, (9), 10 seq., 15 seq., et alias passim. Quintil. inst. III, 7, 2.

Contentionum, quas modo attuli, quamquam fundamentum ipsa materia est, tamen usum oratorum magis quam rem sequi Ciceronem facile perspicitur: accidit hic, quod saepissime accidisse videmus in orationibus: ex re scilicet necessaria primo vel certe utilissima purum paene ornamentum factum est.

c) Artificiosior etiam est ea ratio, qua causa prorsus non postulante solius **delectationis** gratia homo homini opponitur. Quod genus contentionum, ut est a communi usu remotius, in deliberativis demonstrativisque orationibus magis quam in iudicialibus usurpatur. Ceterum plerumque non homines plane inter se diversi comparantur, sed ei, qui ad unum genus pertinentes paulum inter se differant. Quorum parium nobilissimum est Pisonis et Gabini eiusdem anni consulum, quorum cum alter palam libidinosus sit, alter inhonesta consilia fronte severa tegat, uterque ad omnem turpitudinem est propensus; cf. pg. 83/4. Similiter componuntur Cicero et Pompeius (Cat. III, 26/7) uno tempore eiusdem rei publicae cives, „quorum alter finis imperii non terrae, sed caeli regionibus terminat, alter eiusdem imperii domicilium sedesque servat.“ — Caesar et Pompeius hic maris domitor, ille victor Gallorum: prov. cons. 31—32; Deiot. 12. — Dolabella et M. Antonius, ambo spem, quam populus R. in eis habuit, fallentes: Phil. I, 27—36; XI, 5—6 („hoc iugum impiorum nefarium“). 10, 14. — Marcus et Lucius

Antonii, „fratres taeterrimi“: Phil. III, 30/1. (Marci malefactis Luci facinora his verbis adiunguntur: „(M.) cum una legione et ea vacillante Lucium fratrem exspectat, quo neminem reperire potest sui similiorem“). cf. Phil. V, 19—20; 29—30; VI, 10; VII, 16—18; X, 21/2; XII, 14; 26; XIV, 8: — legio Martia et quarta: Phil. III, 6—7 „Quis enim unus fortior, quis amicior umquam rei publicae fuit quam legio Martia universa? . . . Huius legionis virtutem imitata quarta legio . . .“ cf. Phil. V, 23; X, 21; XI, 20; XIV, 31. — Adde Brutum cum Cassio certantem: Phil. XI, 27—28; Caesarem patrem cum filio: Phil. V, 49; Octavianum cum Pompeio Phil. V, 43/4 etc. —

Praeter has perspicuas contentiones occultiores exstant Phil. III, 3—7; 8—13; IV, 3—6; 7—10, ubi Octavianus et Brutus, etsi non disertis verbis sibi opponuntur, tamen cum suis benefactis eo ordine tractantur, ut facile auditores alterius merita cum alterius conferant; cf. pg. 120 Similiter alias cursus orationis a comparationibus pendet; ita saepissime Antoni descriptionem Octaviani aut Bruti in Philippicis sequitur, in or. I post red. autem laudationes amicorum Ciceronis eiusdem inimicorum vituperationibus eleganter respondent.

Certum est in his quoque contentionibus non omnia a Cicerone inventa esse: ipsi, ut ita dicam, Piso et Gabinius, M. et L. Antonius postulabant, ut componerentur. Sed adeo occasiones comparandi numquam praetermittuntur, eaque arte contentiones exornantur, ut in scholis saepe talia exercitata esse necesse sit. Cf. Cic. de or. II, 348 „Est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praeclara.“ — Accedit, quod etsi non singuli homines, attamen universa genera sibi opponuntur in locis aut plane communibus aut artem sapientibus certiorem: ut diversa genera accusatorum (anseres et canes): Rosc. Am. 56/7; senatores et equites: pg. 56/7; medici et patroni: Cluent. 57; optimates et populares: Sest. 96 seq.

Schola vero in hac re non minus quam in aliis multa a poetis didicit; cf. patrem durum et lenem ex comoedia Caeciliana petitos: Cael. 37/8, et unius patris diversos filios inter se comparatos: Rosc. Am. 46/7 = Rohde pg. 82.

d) Paulo rariores quam personarum **rerum** contentiones sunt: ita componuntur Tull. 1 (cf. Caecin. 3; Sull. 49) conditio, quam

post confessionem adversarii orator habet, cum ea, quam antea habuit; Phil. III, 15—17 genus Antoni cum Octaviani (cf. Sull. 25); Phil. VIII, 9/10 praemia reipublicae cum praemiis Antoni etc.

Saepissime vero rerum contentiones in eis locis inveniuntur, qui aut plane scholae debentur aut certe communiores sunt. Certant igitur ratio parricidarum puniendorum apud Athenienses usitata cum Romanorum: Rosc. Am. 70—71; tabulae cum adversariis, mendacium cum periurio: Rosc. com. 5—7, 46/7: civitas Romana cum ceterorum: cf. locos pg. 54 indicatos; gloria domestica cum externa: Catil. IV, 21/2, Rab. Post. 42—44, Marcell. 4 seq.; iurisprudentia cum re militari: Mur. 23—34; Stoa cum Academia: Mur. 61—63; cf. Cael. 39—41: Stoae praecepta cum Epicureorum: Pis. 59 seq.; vera cum falsa gloria: Phil. I, 29, 33; maledicta cum criminibus: Cael. 6. —

e) Restat, ut omnium generum frequentissimum exponam. Quod usurpatur in comparationibus proprie dictis **exemplis**que. Quae cum ipsa, siquidem res, quae comparatur, dissimilis est a re, cum qua comparatur, quodammodo contentiones sint, nonnumquam aut in formam verae contentionis rediguntur aut contentionem proprie dictam appendicis loco praebent (de exemplis „dissimilibus“ cf. Rohde pg. 83/4).

Simplicissima forma autem haec est:

exemplum in formam contentionis redactum.

Verr. II, 2, § 51. „Mithridates in Asia, cum eam provinciam totam occupasset, Mucia non sustulit. Hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis deorum religione consecratum violare noluit; tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impertire noluisti, per quos illi adepti sunt, ut ceteros dies festos agitare possent.“

excultior:

exemplum.

Verr. II, 3, § 81/2. „Unus adhuc fuit post Romam conditam . . cui res publica totam se traderet temporibus . . . coacta. . . L. Sulla . . . unum hoc aliquot senatus consultis reprehensum decretumque est, ut, quibus ille de capite dempsisset, ii pecunias in aerarium referrent. . .

contentio. Illum viris fortissimis iudicarunt patres conscripti remittere de summa non potuisse, te mulieri deterrimae recte remisisse senatores iudicabunt? Ille . . . reprehenditur; tu . . . libidinem tuam tibi pro lege esse voluisti? . . .“

perfectissima:

exemplum. Cluent. 94. „Nuper apud C. Orchivium . . . locus ab iudicibus Fausto Sullae . . . non est constitutus . . . quod accusante tribuno pl. condicione aequa disceptari posse non putarunt.

contentio. Quid conferam? Sullamne cum Iunio an hunc tribunum plebis cum Quinctio? an vero tempus cum tempore? . . .

conclusio. Quae cum ita essent, in Fausto tamen illi iudices statuerunt iniqua condicione reum causam dicere, cum adversario eius ad ius accusationis summa vis potestatis accederet.“

cf. Rosc. Am. 84/5, 103; Verr. II, 1, § 70/1; 2, § 78, 114; 4, § 97/8, 112, 115 (= Kayer pg. 289, Cic. or. 167), 121, 147; 5, § 84/5, 124/5; leg. agr. II, 18/9; Catil. III, 24/5; Arch. 17—22, 23—27; red. I, 37, II, 6—8, 9—11, 19—20; (de Ciceronis reditu cum aliorum comparato: cf. Sest. 37—39, 50); dom. 130/1; har. resp. 16, 26, 41—44; Balb. 11 –12; 53/4 (= Kayser pg. 291); Pis. 92; Phil. I, 18 et saepe in ceteris Philippicis etc., etc. — Quamquam inter hoc caput et tertium (pg. 111/2) subtilior divisio fieri nequit; nonnulla exempla, quae hic attuli, illic afferri poterant. —

2) De forma.

a) Simplicissima forma contentionis ad **orationem** magis quam ad inventionem pertinet. Constat enim ex particulis brevissimis ac saepe ne enuntiati quidem, quod dicitur, fines aequantibus. Ceterum rarissime sola usurpatur: latior plerumque pars ex eius generis *ἀντιθέτοις* conectitur; quae adeo crebro usurpantur, ut aliud aliud quasi urgeat. Inveniuntur autem cum in ceteris orationis partibus ornatis tum in exordiis:

Quinct. 1 „Quae res in civitate duae plurimum possunt, eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia et eloquentia; quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo.

Eloquentia Q. Hortensi ne me in dicendo impediat, non nihil commoveor, gratia Sex. Naevi ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimesco. . .“

Dubium non est, quin in his contentionibus excolendis praecipuum studium Ciceronis fuerit et quin eis maxime recentiores orationes a prioribus differant. Primum enim, ut et amplificationem et exornationem, quam *ἀντίθετα* passa sunt, paucis adumbrem, cum in primis duabus orationibus medium tantum quod dicitur genus talem eorum seriem praebeat, qualem ex oratione pro Quinctio exscripsi, primo in or. pro Roscio com. etiam oratio acuta similiter ornatur: Rosc. com. 5—7: „Usque eone te diligis et magnifice circumspicis, ut pecuniam non ex tuis tabulis, sed adversariis petas? Suum codicem testis loco recitare arrogantiae est; suarum perscriptionum et liturarum adversaria proferre non amentia est? . . . . Sed si, quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus, quod etiam apud omnis leve et infirmum est, id apud iudicem grave et sanctum esse ducetur? Quid est, quod neglegenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? . . .“ — postea vero eorundum *ἀντιθέτων* vi atque usu vetera genera dicendi paulatim confunduntur.

Deinde, cum exordium orationis pro Quinctio paulo rudius factum sit, ita ut parum nonnumquam particulae inter se cohaereant, inde a divinatione in Caecil. eaedem latioris semper comprehensionis membra factae eleganterque sibi respondentes sententias gratissimas ac quasi rotundas reddunt:

Caecil. 1. „Si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur me, qui tot annos in causis iudiciisque publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere, is si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, probabit et in hac causa profecto neminem praeponendum mihi esse actorem putabit. Cum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem, factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis, tum non nullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur.“

postea autem ea quoque concinnitas superatur novā quādam partim solutiore ac suaviore, partim graviore (cf. Arch., leg. Man., Mur. 1—4 etc.).

Sescentae aliae observationes afferri possunt. Sed, quoniam de inventione, non de oratione, dicere constitui, tetigisse quaestionem satis habeo. Quae artissime cohaeret cum ea, quae est de clausulis numerosis. — Ceterum concinnitatem illam, quam inde a reditu ex Graecia (a. 77.— cf. Caecil.) deprehendimus, recte alterum genus dictionis Asiaticae (Cic. Brut. 325: „Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis . .“) vocare mihi videor.[57])

Sed iam nimis copiosus fui in rebus ad finem propositum non plane pertinentibus.

b) Quamquam ne de eis quidem contentionibus accuratius dicam, ubi aut formae cultu paene neglecto res solum rebus opponuntur (cf. exemplum ex or. pro Quinctio pg. 108) aut ex duabus tantum partibus figura constat (ad Her. IV, 25, pg. 107).

c) Quod vero ad latiores contentiones latissimasque attinet, quales in ambitus, repetundarum, aliis causis observantur qualesque in prioris partis capite secundo et tertio (pg. 109—112) tractavi, iam satis inde apparet, quot in orationum generibus contentio fuerit aptissima compositionis ratio atque usitatissima.

d) Contra exemplis illustranda est **ea forma**, ad quam **auctor ad Her.** respicit:

IV, 21 „Contentio est, cum ex contrariis rebus oratio conficitur, hoc pacto: . . . In otio tumultuaris; in tumultu es otiosus; in re frigidissima cales, in ferventissima friges; tacito cum opus est, clamas; ubi loqui convenit, obmutescis; ades, abesse vis;

[57]) Altero genere („non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum . . . . In his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat.“) post exilium maxime, si quid video, Tullius utitur: redit. II, 13 „Ego, cum homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidissem, cum intellegerem veteres ad spem caedis Catilinae copias esse revocatas, cum viderem ex ea parte homines, cuius partis nos vel principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod sibi timerent, aut proditores esse aut desertores salutis meae, cum duo consules . . . .“ — Quamquam huius quoque generis fundamenta in oratione vetere (in genere gravi quod dicitur) posita sunt.

abes, reverti cupis; in pace bellum quaeritas, in bello pacem desideras; in contione de virtute loqueris, in proelio prae ignavia tubae sonitum perferre non potes.“ cf. IV, 58.

Ratio huius contentionis non ita multum abest ab ea, quam primo huius partis capite (pg. 114—116) adumbravi; sed materia differt. Scilicet illic orator in exponenda re progreditur, hic eandem rem (imaginem hominis perversi) varie exponit. Apud Ciceronem hoc genus in tritissimis est; plerumque repetitionibus (= *ἀναφοραῖς*) exornatur; ut Verr. II, 4, § 112: „sed neque tam servi illi dominorum quam tu libidinum (fuerunt), neque tam fugitivi illi ab dominis quam tu ab iure et legibus, neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus, neque tam illi hostes hominibus quam tu dis immortalibus.“

Usurpatur autem praecipue in **exemplis** proprie dictis; qualis est locus, quem modo exscripsi (ubi Verres simulacrum Cereris Hennensis tollens cum servis eidem parcentibus comparatur) et Deiot. 31, ubi similiter ac supra cum exemplo **vituperatio** coniungitur:

„Vide, quid intersit; etsi inique Castorem cum Domitio comparo; sed tamen ille inimico servum remisit, tu ab avo abduxisti; ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti; ille adiutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti.“

Utque semper haec figura aliquid concitati habet, ita **conquestionum** aptissimum ornamentum est: Quinct. 95. „Miserum est deturbari fortunis omnibus, miserius est iniuria; acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius a propinquo; calamitosum est bonis everti, calamitosius cum dedecore; funestum est a forti atque honesto viro iugulari, funestius ab eo, cuius vox . . . quaestu prostitit; indignum est a pari vinci aut superiore, indignius ab inferiore atque humiliore; luctuosum est tradi alteri cum bonis, luctuosius inimico; horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.“

Nonnumquam denique **enumerationes** contentionis forma, de qua dico, instruuntur: pg. 108—110 — et praeterea multi alii loci, quos singulatim exponere longum est. — Cf. praeterea (praeter locos, quos pg. 113/4 indicavi; qui plurimi huc pertinent): Quinct. 35; Rosc. Am. 13/14; Rosc. com. 22/3; Verr. I, 34;

II. 3, § 82; Caecin. 3; Cluent. 29; leg. ag. II, 88/9; Catil. II, 25; leg. Manil. 11; Rab per. 12 etc. —

e) Restat, ut elegantissimam formam contentionis tractem. Scilicet multis locis res simpliciter sibi opponere non satis habet orator; addit **utriusque partis artificiosam divisionem** ipsasque particulas sibi respondentes facit. Quam rationem melius exempla quam verba demonstrabunt:

Rosc. Am. 111—117 (cf. pg. 102/3).

I. A **exemplum**: privatum mandatum neglegere turpe esse.

„In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset . . verum etiam neglegentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est iudicium non minus turpe quam furti; credo, propterea quod . . . fides amicorum supponitur . . . Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem . . . . Perditissimi est igitur hominis simul et amicitiam dissolvere et fallere eum (qui credidit).

B. **conclusio**: publicum neglegere turpissimum.

Itane est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est, in re tanta cum is, cui fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt . . . ignominia mortuum, inopia vivum affecerit, is inter honestos homines atque adeo inter vivos numerabitur? . . . . . Si hanc ei rem privatim Sex. Roscius mandavisset . . . nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset . . . honestatem omnem amitteret? Nunc . . . ipse Sex. Roscius cum fama, vita bonisque omnibus a decurionibus publice T. Roscio mandatus est . .

II. A **exemplum**: private socium fallere turpe esse.

Videte iam porro cetera, iudices, ut intellegatis maleficium nullum fingi posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere turpissimum est aequeque turpe atque illud, de quo ante dixi; neque iniuria . . . Ad cuius . . . fidem confugiet, cum per eius fidem laeditur, cui se commiserit? . . Recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.

B. **conclusio**: publice, turpissimum.

At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit . . . verum novem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officii mandatorumque socios . . . . . fefellit.“

Similiter exempla exemplis, conclusio conclusioni respondent:

Arch. 17—22; 23—27. Cicero iudices hortatur, ne Archiam despiciant:

I. A **Exempla** Enni, Homeri; de carminum ab Archia compositorum vi ac virtute.

B. **Conclusio**: „Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem . . . de nostra civitate eiciemus?“

II. A. **Exempla** Alexandri, Pompei, aliorum, poetas honorantium.

B. **Conclusio**: „Quare, in qua urbe imperatores . . poetarum nomen . . . coluerunt, in ea non debent togati . . a poetarum salute abhorrere.“ cf. §§ 19—22 et pg. 101, 105/6.

Balb. 11—12. I. A. **exemplum**: Q. Metello causam dicente iudices oculos a tabulis amovisse. B. **conclusio**: „nos Cn. Pompei decretum . . . recognoscemus?“ II. A. **exemplum**: Athenis sancto quodam viro testimonium dicente iudices reclamasse, ne iuraret. B. **conclusio**: „Cum Graeci homines spectati viri noluerint religione videri potius quam veritate fidem esse constrictam, nos . . . in ipsa religione . . . qualis fuerit Cn. Pompeius dubitabimus?“

Contra exempla in medio, argumentatio in finibus afferuntur: Cluent. 150—154. (Cicero docet legem, „ne quis iudicio circumveniretur“, ad equites non pertinere; cf. pg. 56/7.)

I. Par esse senatores legibus teneri, quibus non
A. teneantur equites, cum ceterum quietiorem vitam agant.

B. Hoc viros illustres nonnullos probavisse. (Gracchum, Sullam.) (152. Non omnes senatores equitibus invidere; equitibus negligentius tractatis iudicia deletum iri.)

B. Hoc viros illustres nonnullos probavisse. (Pusionem, Titinium, Maecenatem adversarios Drusi.)

A. Par esse senatores legibus teneri, quibus equites non
II. teneantur, quoniam ceterum quietorem vitam agant.

(Oratorem ipsum inspecturis confiteor, facilius ex meis quam ex Ciceronis verbis compositionem loci perspici. Qui cum duas partes (I, II) praecipuas, quatuor (A, B, A, B) minores sine controversia praebeat, in medio continet argumentationem cum iudicum obtestatione coniunctam (§ 152), quae partem sibi respondentem non habet.)

Similis ordo partium observatur Phil. I. 27—35.

27/8. Dolabellam alloquens iniuria sibi Antonium irasci C. exponit.

I 29—30. Cicero adhortatur Dolabellam:

A. Verae gloriae eum commonefacit: „. . . Est autem gloria laus recte factorum magnorumque in rem publicam meritorum . . .“

B Orat. ut memor sit, quam bene antea de re publica meritus sit: „Recordare . . consensum illum theatri . .“

II 31—35. Cicero adhortatur Antonium:

B. Orat, antea bene factorum ne obliviscatur: „. . . unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus his mensibus, quibus te quidam . . . beatum putant, anteponis? . . .“

A Verae gloriae iter ostendit: „ ... Carum esse civem, bene de re publica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est . . .“ Avi ut meminerit, eum obsecrat. (= particula singularis).

36. Utrique explicat, quae populi voluntas sit.

Ut hoc exemplum ad adhortationes pertinet, ita alias adhortationes, vituperationes, laudationes et omnino loci illustriores contentionis huius elegantis legibus vinciuntur:

Phil. III. 3—13. Merita Bruti cum meritis Octaviani hoc modo comparantur: I. A. (§ 3—5) laudatio Octaviani; (B. (4) vituperatio Antoni laudationi Oct. inclusa;) C. (6—7) laudatio legionum. — II. A. (8) laudatio Bruti; B. (9—12) vitup. Antoni; C. (13) laudatio Galliae. — cf. Phil. IV. 3—10. et

Cael. 33—36: Cicero perversos mores Clodiae reprehendens I primum austere Appi Caeci persona inducta cum ea agit —

(deinde eandem suo nomine vituperat) — II tum Clodium fratrem lepide cum ea loquentem facit.

Adde redit. II. 6—8; 9—12.

I. propinqui
A. quid in aliorum,
B. quid in Ciceronis reditu fecerint.

„Non enim pro meo reditu ut pro P. Popili, nobilissimi hominis, adulescentes filii et multi praeterea cognati atque adfines deprecati sunt . . .
Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret, qui suo fletu desiderium mei memoriamque renovaret . . .

II.
A. cives quid in aliorum,
B. quid in Ciceronis reditu fecerint.

Numquam de P. Popilio . . . numquam de Q. Metello . . . numquam de C. Mario . . . in senatu mentio facta est . . .
at pro me superiores consules semper, ut referrent, flagitati sunt; sed veriti sunt, ne gratiae causa facere viderentur . . Kalendis vero Ianuariis . . P. Lentulus consul . . . nihil humanarum rerum sibi prius quam de me agendum iudicavit . . .“

Profecisse Ciceronem in contentione artificiose componenda ex hoc potissimum exemplo apparet; ubi — cum plerumque solum partes praecipuae maiores (I et II) universae et partes minores (I A et I B, II A et II B) eiusdem partis praecipuae sibi respondeant — scite opponuntur pars tota I parti toti II, pars I A parti II A, pars I B parti II B eleganterque orator primum a multitudine eorum, qui alios revocaverunt, ad unum fratrem, qui pro Cicerone supplicavit, descendit; deinde ascendit ab aliis a tribunis solum domum vocatis ad se uno tribuno intercedente ab omnibus desideratum. — Quae tamen elegantia non solum ab aetate pendet; siquidem in oratione pro Balbo edita post orationem post red. simplicissimam figuram invenimus pg. 119.

Ornatissimae formae rudiorem oppono, ubi exteriores tantum utriusque partis particulae (I B II B) vere sibi respondent: Quinct. 48—59.

Demonstrat Cicero causam non fuisse, cur a praetore Naevius peteret, ut bona Quincti possideret:

I. A. primum enim ne in vadimoniis quidem desertis adversarii bona venire solere (48 –54).

B. **vituperatio Naevi**: „Quid ad haec Naevius? Ridet scilicet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi

officii desideremus et instituta virorum bonorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum ista sanctimonia ac diligentia? viderint, inquit, ista officia viri boni, de me autem ita considerent . . . et quem ad modum natus et quo pacto educatus sim . . . .“ (55/6).

II. A. deinde vadimonium a Quinctio omnino non desertum esse (56—58).

B. **laudatio Quincti**: „Et in hac eius modi causa P. Quinctius laborabit? . . . Vixit enim semper inculte atque horride; natura tristi ac recondita fuit; . . . id egit, ut amicos observantia, rem parsimonia retineret; antiquam officii rationem dilexit . . .“ (59.)

Exemplis ex argumentationibus sumptis addam prompta ex exordiis: Quinct. 1–5; 5–10.

I.

A. **argumentatio.**
a) de **adversarii** patronique eius opibus; de **rei** inopia.

„. . Eloquentia Q. Hortensi ne me in dicendo impediat, non nihil commoveor, gratia Sex. Naevi ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimesco . . .

b) de **oratore.**

Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Iunius . . . abest . . Ita, quod mihi consuevit in ceteris causis esse adiumento, id quoque in hac causa deficit. Nam, quod minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparavi; quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intellegi non potest . . .

B. **obtestatio.**

. . Certe aut apud te et eos, qui tibi adsunt, veritas valebit aut ex hoc loco repulsa vi et gratia locum, ubi consistat, reperire non poterit . . .

II.

A. **argumentatio.**
de periculo causae.

Primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, quod uno iudicio de fortunis omnibus decernit . . .

a) de opibus **adversarii** patronique eius; de **rei** patronique eius inopia.

Deinde habet adversarium P. Quinctius verbo Sex. Naevium, re vera huiusce aetatis homines disertissimos . . . Nam quid hoc iniquius . . dici . . potest, quam me . . priore loco causam dicere? cum praesertim Q. Hortensius . . contra me sit dicturus . . .

de cetera rei mala conditione.

Id accidit praetoris iniquitate et iniuria, primum quod contra omnium consuetudinem iudicium prius de probro quam de re maluit fieri, deinde quod ita constituit id ipsum iudicium, ut reus, antequam verbum accusatoris audisset, causam dicere cogeretur . . .

B. **obtestatio.**

Cum tot . . difficultatibus affectus . . in tuam . . fidem . . . Quinctius confugerit . . . te, C. Aquili, . . . orat atque obsecrat, ut multis iniuriis iactatam . . aequitatem in hoc tandem loco consistere . patiamini.“

Si quid video, exordii, quod exscripsi, compositio contentione eleganti, cuius in argumentationibus multa exempla indagavi, veluti fundamento nititur. Facile enim duae partes principales discernuntur, quarum fines, obtestationes scilicet, cum plane sibi respondeant, partibus I A et II A conditio rei simili tantum, non eadem, ratione describitur.

Comparari possunt Caecil. 1–9; ubi §§ 1—4 (— „traducerer“) = I A et § 5 = II A conditio, quae intercedit inter clientes et oratorem, tractatur, § 4 („Dicebam — fuisset“) = I B adversarii mentio fit, §§ 6—9 = II B causa explanatur — partes principales I et II autem iudicum appellatione (§ 5) secernuntur — et Mil. 1—6. (Orator postquam de sua, clientis, adversariorum, fautorum conditionibus dixit — iudicibus admonitis (§ 4) — de reo, de causa, de se ipso dicere pergit.) Eiusdem vestigia compositionis, ni fallor, etiam in aliis exordiis exstant.

Ex schola Cicero quin elegantis contentionis rationem acceperit, licet praecepta de ea non teneamus, is non dubitabit, qui primas statim orationes exempla eius quamquam non elegantissima attamen perfecta ac certam artem sapientia praebere viderit. Accedit, quod in locis communibus nonnumquam usurpatur. Ut igitur in ratiocinatione absoluta ita hic inventoris laude Cicero caret, cultoris floret doctissimi. Schola autem Graecis, ni fallor, ut ceterarum contentionis formarum non nullas, sic hanc elegantem debet.

In fine dissertationis ad ea reverti placet, quae in media exposui; pg. 72 seq. Duo igitur fontes fuerunt eloquentiae Romanae, qui ambo in scholis in unum, quoad fieri potuit, quasi rivum duci solebant: doctrina Graeca et usus Romanus. Doctrinae Graecae in orationibus Ciceronis adhibitae multa exempla congessit Franciscus Rohde; ego cum in argumentationibus tum in contentionibus nonnulla addidi. Usum Romanum Rohde paene totum neglexit; ego exempla eius attuli argumentationes et vituperationes cum parte de vita et moribus, quibus, si recte video, adnumeranda est ea contentio, quae reprehendendi gratia inter oratorem et adversarium instituitur. Reliquae sunt notationes, quas creavit Graeca philosophia, exornavit Romana comoedia, et acute narrandi ratio, quam eadem comoedia usi Romani doctores excoluerunt, cum excultae formam similem, sed minus facetam, et Romanus usus et ars Graeca iampridem praebuissent.

Vita.

Rudolphus Preiswerk, Basiliensis, natus sum a. d. V. Idus Septembres anno 1878 in vico, cui nomen est Rothenfluh, in pago Rauracorum. Parentes sunt Rudolphus Preiswerk, ecclesiae reformatae minister emeritus, et Hanna Linder. Litterarum elementa doctus sum in schola vici Buckten, cui ascriptus est vicus Ruemlingen, quo anno 1884 transmigraveramus. Altiora studia domi inchoavi, persecutus sum in gymnasio Basiliensi; quod autumno anni 1890 frequentare coepi, autumno anni 1894 morbo implicitus gravi diuturnoque relinquere coactus sum. Postquam plus tres annos corpori animoque curandis operam dedi, vere anni 1898 factum est, dilectissima litterarum studia tandem aliquando ut repeterem. Ubi Dei optimi benignitas hominum erga me benevolentia completa est. Rector scilicet gymnasii Basiliensis praeceptorumque collegium, quod discipulum iterum me recepit, permiserunt, ut, cum adhuc infirmus essem, et aliis multis officiis liberarer et examen quod vocant maturitatis bipertito peragerem. Civis academicus factus sum mense Octobri anni 1900. Octo semenstria Basileae, duo (1902/3; 1903) Berolini versatus sum. Scholas frequentavi Basileae: philologorum Iacobi Wackernagel, Erici Bethe, Friderici Muenzer, Ferdinandi Sommer, Alfredi Koerte, historici Adolphi Baumgartner, archaeologorum Ioannis Dragendorff, Ernesti Stueckelberg, philosophorum Friderici Heman, Caroli Joël, theologorum Bernhardi Duhm, Pauli Mezger; Berolini: philologorum Ioannis Vahlen, Udalrici de Wilamowitz-Moellendorf, Richardi Heinze, Guilhelmi Schulze, Henrici Diels, historicorum Eduardi Meyer, Ottonis Hirschfeld, philosophi Adolphi Lasson, theologi Iuli

Kaftan. Seminariis exercitationibusque suis me admiserunt Wackernagel, Bethe, Muenzer, Sommer, Koerte, Baumgartner, Dragendorff, Heman, Joël, Meyer, Hirschfeld. In dissertatione conscribenda Friderici Muenzer consiliis operaque frui mihi licuit. Praeceptoribus meis cum academiae tum gymnasii, ex quibus honoris causa affero Theodorum Pluess, Fridericum Burckhardt, tum rectorem, Iacobum Oeri, Augustum Beck. Danielum Veraguth, gratiam habeo sinceram semperque habebo.